

De
primordiis ecclesiae Britannicae eorumque calamitatibus
commentatio historica.

Quum jam pridem de ecclesiae Britannicae primordiis varie copioseque disputatum esset a viris doctissimis et maxime transmarinis scriptoribus, in quibus unum Usserium nominamus, Archiepiscopum Armachanum *): tum nuper nostratibus ejusdem argumenti examinandi quaedam allata est sive causa sive necessitas. Attulerunt autem ecclesiae nostrae tempora, quibus nonnulli iique religiosissimi homines sacrorum suorum solitudinem atque tenuitatem indigne ferentes eo, unde olim obortam Germaniae lucem Evangelii constat, sollicite respicere atque inde aliquod sibi praesidium exspectare coeperunt sive priscam sive recentiorem ecclesiae Brit. formam requirentes: quum eo ipso tempore duo quidam scriptores exstiterunt, qui antiquos illos Britonum doctores tantum non omni qua digni sunt laude privarent. Unus est Schroedelius, Professor Passaviensis, qui singulari libro Germanice scripto, postquam ex more Pontificiorum veterem Britannorum ante Augustinum Anglorum Apostolum quae fuit ecclesiam quamvis Romanis auspiciis constitutam ac saepius castigatam prorsus degenerasse (servata dumtaxat catholica fide et doctrina) vix novem paginis exposuit, jam Anglicanae seculum primum multis amplissimisque verbis persequitur atque ita extollit, ut antiquos illos viros, qui Augustino Gregorii M. Pontificis Romani mandata deferenti refragarentur, ut „monachos obscuros“ despiciere eorumque instituta ac scholas plane ignorare videatur.**) Eodem fere consilio Braunius Bonnensis, quum eosdem nimium efferré ab adversariis Pontificiorum existimaret, gravissima „de Culdeis“ commentatione***) pro constantissimis antiquae fidei defensoribus, (ab ipso Beda, quamvis alio nomine, laudatis) nihil protulit nisi pallentes quasi eorum umbras „totam hanc de illis fabulam, primis ecclesiae temporibus inauditam, sequiori (sic recte licet inscius dixit) aetati incognitam recen-

*) Brit. ecclesiarum antiquitates. Quibus inserta est pestiferae adversus Dei gratiam a Pelagio Britanno in ecclesiam inductae haereseos historia. Collectore Jac. Usserio, Arch. Arm. totius Hiberniae Primato. Dublinii ed. 1639.

**) Das erste Jahrhundert der Englischen Kirche von Dr. Karl Schrödel, Professor am k. Lyzeum in Passau. Pass. 1840.

***) Joan. Wilh. Joseph. Braun, philos. jur. utr. et S. S. theol. Dr. in univ. Frid. Wilh. Rhenana Prof. P. O. de Culdeis commentatio historico ecclesiastica. Bonnae 1840.

tioris aetatis tribuendam esse scriptoribus asseverans, Culdeos potius in communione ecclesiae Catholicae vixisse, nec eorum disciplinam ab illa diversam fuisse probare sibi videtur. Cui opinioni jam ante apud nostrates vir clarissimus et pietate et doctrina insignis, de Meyer, Senator Francofurtensis, viam quodammodo munivit*) quum Hectori Boethio, qui ex Forduno, Scotichronici (sec. XIV, non X, ut Braunius vult) auctore historiam Scotorum conscriptam anno 1526 edidit, nimium fortasse tribuens, Culdeorum disciplinam neque ante Gregorium Magnum a Catholica Romanae ecclesiae fide neque a Papae illius placitis permulta novantibus nisi in externis quibusdam ritibus aliquanto tenacius retinendis discrepasse nec denique bonos illos viros plus quam ceteros sapere aut voluisse aut potuisse contendit.**) Longe aliam de illis b. Frid. Münterus, episcopus Selandienseis, sententiam tulit in ea commentatione, quam post obitum ejus vir clarissimus Ullmannus (quem hic honestatis amplitudinisque gratia nominare mihi liceat) edidit in Stud. theol. et crit. A. 1833 Fasc. I. et seqq.**) Inde enim discimus, Britanniae, Scotiae, Hiberniae primos doctores Christianos cum vere pios religiososque homines, simplicitate, integritate, constantia praestantes, tum solam scripturae sacrae atque antiquissimae Orientalis ecclesiae auctoritatem secutos fuisse, et ab opinionum commentis, quae ut vulgi superstitio, ita maxime deterior aetas protulit, quin etiam a Pelagiani erroris suspicione esse liberandos. Quod verum esse ut omnes ita intelligerent, ut et ipse vir doctissimus qua erat ingenii acie perspexit et ii jamdudum suspicati sunt, qui post Centur. Magdeb. ecclesiae Britannicae antiquitates probe indagarunt, vellem testimonia, quibus ille et usus est et commentationem suam auxit, simul edita palam cernerent omnes.***) Quae quoniam mihi inspicere non contigit, jam, ut dicitur, Marte meo, utcunque potero, has partes explebo. Ac mihi quidem illis vestigiis insistenti atque adeo jam septem abhinc annos iisdem in rebus occupato, quanquam cum permulta alia, tum tempora nostra inchoatam hanc materiam talem ac tantam ut in medio relinquerem pro mea infirmitate suadebant, tamen post diuturnos labores ac tot vigilias, quae de ea vel explorata ex antiquissimis auctoribus vel conjectura haberem perspecta, ea, quantulacunque essent, literis mandata palam facere non modo operae pretium verum etiam, si non e re mea, at certe nostratum est visum, ut si qui nostrum ex Britannia boni quid vel aliquam malis suis medicinam expectent, ex rebus gestis, memoriae proditis nec tamen satis cognitis aut perspectis probe intelligant, quo potissimum suis ipsi oculis respicere, quid expetere, quid cavere maxime debeant. Nec vero in iis, quae deterrere animos ab ingrato hoc opere vel oculorum aciem praestringere possunt, quo minus obsoleta ista persequantur aut recte perspiciant, quidquam majus habet momentum, quam in summa antiquissimorum testimoniorum paucitate, taetra ista fabularum a medii aevi scriptoribus congestarum colluvies, ab Usserio primum satis temere et sine ordine ac delectu conglutinata, deinde infinita illa, quae inde progignitur, rerum et sententiarum, critices interpretationisque silva, in qua comparanda atque edolanda viri doctissimi nimia fortasse industria desudarunt. Etenim, ex quo tempore Angli a Pontificiis ad fidem Christianam conversi priscas Britannorum

*) Blätter für höhere Wahrheit. Von Joh. Friedr. von Meyer Dr. der Theol. Neue Folge. Erste Samml. p. 222. ff.

) Die altbritische Kirche von Dr. Friedrich Münter. *) Quorum quum ibi clar. editor rerum harum studiosis liberalissime copiam se facturum pollicitus esset, mecum tamen schedas eas, quippe alii cuiquam jam traditas, communicare, quod rogaveram, non potuit, humanissime vero, ut propterea scribendi de his rebus negotium, maximo sudore dignum, ne abjicerem, gratissimis me literis est cohortatus.

ecclesias occuparunt, Valesiorum, invictae gentis, scriptores, eadem sensim qua illi superstitione imbuti, monachi quippe satis creduli vel poetae, quum majores suos ab aedibus sedis apostolicae sperni intelligerent, nihil antiquius habuerunt, quam ut quibus „virtutibus“ i. e. miraculorum oraculorumve singulari quadam „gratia Dei“ edendorum facultate pollere ceterisque selectae ultro sanctimoniae artibus clarere Pontificios, legatos videbant, iisdem suos pie ac religiose ornarent Sanctos. Quam gloriam his cupidius quam verius affectam Pontificii vel non agnoverunt (jure quidem suo, quia simplices illi viri portenta facere aut noluerant aut non potuerant) vel admodum paucis concesserunt, quos vel vulgi opinio antiquitus fovebat, ut S. Albano, vel luculentissima facta commendabant, ut S. Patricio*) atque ita quidem largiti sunt, ut jam ipsi vanis fabularum commentis in suam rem usi, celeberrimos alterius partis facerent suos, ceteros omnes, quamvis religiosissimos, nullo numero ducerent. Inde factum est, ut ne Columbae quidem, qui, quod Palladius, legatus Romanus, frustra conatus erat, perfecit, ut Scotos Septentrionales ad fidem Christianam converteret, Sanctorum honos nisi recentissimo tempore (a. 1741.) et gratificandi dumtaxat causa contingeret. Videmus igitur, in rebus illis dijudicandis variam fuisse diversarum partium rationem summamque nostram esse cautionem, ne quid aut falsae laudis religiosi hominibus, quibus vetus Britonum ecclesia usa est magistris, temere attribuamus aut de veris eorum meritis detrahamus. — Jam vero ad primordia ac veluti incunabula receptae a Britonibus veritatis Christianae ne perveniamus non magis fabularum copia atque diversum de illis iudicium quam aliud incommodum obstare videtur, mira, quam supra commemoraveram, antiquorum monumentorum paucitas, quae quidem tanta est, ut, si cum Gallicanae ecclesiae, eadem aetate florentis, ubertate comparetur, suspicionem movere possit, non tam nulla, ut apud barbaram gentem, fuisse, quam injuria sive temporum sive adversariorum intercuisse.***) Nam ex illo tempore, quod ante Bedam fuit, AngloSaxonem, qui unus omnium maxime historiae Anglorum ecclesiasticae parens praedicatur et auctor, neminem superstitem habemus domesticum rerum Britannicarum scriptorem praeter unum, et eum vehementissimum gentis suae accusatorem! Atque hic ipse, sive vero sive falso Gildae Sapientis nomine insignis***) profiteri non dubitat „hausisse se, quae tradiderat, non tam ex scriptis patriae scriptorumve monumentis — quippe quae, inquit, si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta aut civium exulum classe longius deportata non compareant — quam transmarina †) relatione, quae crebris irrupta (interrupta) intercapedinibus non satis claret.“ At quis non jure miretur, ex illo naufragio nihil literarum Britannicarum esse ereptum, nihil de ea gente ad posterum pervenisse, quae Constantium Chlorum, Christianorum fautorem, Constantinum Magnum, Helenam vidit, quae famosum illum Pelagium „Tulliani eloquii“ laude nobilitatum atque tot ejus sectatores genuit eadem sive disputandi sive scribendi cupiditate imbutos ideoque etiam atque etiam castigatos, deinde quae, nisi omnia fallunt,

*) Sequimur in hac re Neandri nostri sententiam, qui Jocelini monachi aliorumque innumera- biles de S. Patricio fabulas, quas Usserius congerere non dubitavit, nullam habere fidem judicat. Cf. Neand. Denkw. 3r Bd. 2 Aufl. p. 188. Idem sentit Münsterus. l. l. **) Ejusmodi aliquid etiam vir eruditissimus, qui nuper historiam Anglorum scripsit, suspicari videtur, quamvis nullo ille partium studio ductus. Cf. J. M. Sappenberg Geschichte von England. Erster Band. p. 195. ***) Gildas Badonicus „de excidio Britanniae liber querulus, tripartitus: historia; epistola; increpatio in clerum.“ In Gallandii Bibl. P. P. T. XII. p. 189. sqq. †) h. e. Armoricanorum in Gallia, inter quos aliquamdiu vixisse traditur. Cf. Buchan. rer. Scotie hist. l. II. princ.

Ossiani carmina, Arcturi certe laudes ad posteritatem propagavit, per totum terrarum orbem celebratas, denique quae illustre illud Bancorense habuit coenobium tanquam commune literarum perfugium veritatisque Christianae seminarium,*) unde Hibernia, Scotia et aliquanto post Germania primos suos naeta est praeceptores — quis, inquam, non modo sine admiratione, verum etiam sine dolore quodam, nulla illorum temporum monimenta exstare nisi Gildae librum querulum audiat satis ambiguum ac portentosum? Quo tandem fato accidisse dicemus, ut hic ipse, cujus scriptor „non tam fortissimorum militum enuntiare crucis belli pericula sibi statutum esse quam desidiosorum“ confitetur, servaretur, ejusdem, qui vulgo fertur, liber „de victoria Aurelii Ambrosii“ interiret? Scilicet hoc**) fortissima Britonum cum Saxonibus certamina pro aris et focus, pro sacris Christianis exantlata enarrantur! Non abest suspicio, quin luculentissima antiquae virtutis pietatisque testimonia Anglorum, Pontificiorum, monachorum invidia de medio sint remota, atque anilibus fabulis postea suppleta. Idque jam ante Bedam factum esse existimo. Quanquam Nennii, fictionum omnium parentis, qui quum Bedae praere putetur, ab ipso potius veriora sumperit, specioso Gildae nomine fucata Collectanea multo inferiora aetate sunt censenda. Itaque antiquiora sciscitantes ad duorum scriptorum, Gildae et Bedae auctoritatem rejecti sumus, qua quidem uterque ita pollet, ut, si a Valesiorum fabulis postmodo confictis discesseris, vix quidquam apud recentiores reperiatur, quod non, quantum ad illa tempora, ab alterutro sit petatum, vel ad Bedae potissimum testimonium tanquam ad Lydium lapidem sit exactum. Quis enim unquam hujus auctoris fidem sine magna piorum hominum offensione impugnavit? Quippe***) qui, ut in Epilogo ait, „historiam ecclesiasticam Britanorum et maxime gentis Anglorum, prout vel ex literis antiquorum †) vel ex traditione majorum vel ex sua ipse cognitione scire potuit, digesserit“ — in praefatione, „ut lectoribus occasionem dubitandi subtrahat, quibus haec maxime auctoribus didicerit“, ipse indicat — in contextu vero non semel veracem se historicum, simpliciter, quae comperta habeat, describentem profiteatur. ††) Quanquam aliquantum de ejus fide detrahit, quod alienae fuit et gentis et partis. Nam quanti suos duxerit, ubique prodit ut his: „Sed non tamen divina pietas plebem suam (Anglos) quam praescivit, deseruit, quin multo digniores genti praecoces veritatis, per quos crederet, destinavit“ quam Britones. (l. I. c. 22.) Hos domestico odio gentem Anglorum et totius catholicae ecclesiae statutum Pascha sua adhuc aetate (731.) impugnare arguit (hist. l. V. extr.) Ipse vero, quum ab ineunte aetate in monasterio b. Ap. Petri et Pauli, quod erat ad Wirimudam (Weremouth) in Northumbria, educatus „cunctum tempus vitae in ejusdem monasterii habitatione peregisset“ summam ubique in Pontifices Romanos eorumque legatos prae se fert reverentiam, nec usquam dissimulat, cui

*) expugnatum ab Anglis post Augustini demum adventum, ut infra videbimus. **) qui saepius commemoratur a scriptoribus Valesiis ut a Galfr. Mon. IV. c. 20. ***) hist. eccl. gentis Angl. libb. V. Beda Anglosaxone auctore. Probatissimam Smith. Cantabr. (1722) editionem quum adsequi non potuissem, ea sum usus, quae Antverpiae prodiit a. 1550. †) „ex priorum maxime scriptis hinc inde collectis“ praef. ††) „simpliciter fidem historiae, quam legebam, accomodans lectoremque suppliciter obsecro ut si qua in his quae scripsimus aliter quam se veritas habet posita repererit, non hoc nobis imputet, qui — quae vera lex historiae est — simpliciter ea, quae fama vulgante collegimus, ad instructionem posteritatis literis mandare studuimus.“ l. v, c. 14. „simpliciter ob salutem legentium.“ Viri venerabilis fidem, saepius jam impugnatam, denuo nuper in dubium vocavit Lappenb. hist. Angl. T. I. p. 74: „dessen greller Mangel an historischer Kritik noch nicht gehörig gewürdigt ist.“

parti addictus sit. De sexcentis illis miraculorum fabulis, quibus tot capita implevit, ut taceam: in reddendis, quae accepit, non magis fidelem quam credulum se praebet, undique ex Orosio, Prospero, Constantio, qui Germani vitam scripserat, Gilda delibans, quae e re sua esse judicaret, alia vel aliquantum mutata refert vel sicco, ut ajunt, pede transire solet. Nihil ad rem, si modo ex ipsius narratione efficere potuero, quae et qualia cum utriusque partis fuerint ingenia, mores, artes, tum antiquissimorum in Britannia Christianorum fata. Hunc igitur potissimum ducem tanquam rerum, quas sibi traditas refert, pronuntiatorem sincerum, ea qua par est verecundia hominis doctissimi et religiosissimi, non tantum inter aequales, sed etiam apud posteros ab ingenio, doctrina, pietate laudibus haud immeritis celebrati, atque ita sequemur, ut nonnulla, quae ille vel ex industria vel propter ignorantiam praeteriit, nos aliunde*) explorata habemus, vel praemitti vel addi liceat, alia, quae non tam partium, quas sequitur, quam aetatis esse videntur, ut incredibilia et propter vetustatem obsoleta, quae jam in fabularum numero reponuntur, aequi bonique faciamus, alia, quae minus recte dedit, non levi conjectura, at certis argumentis nixi pendamus, probe memores eorum, quae M. Tullius ait de Divin. I, 8: „Quum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime in quo judicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus. Est enim periculum, ne aut neglectis iis impia fraude aut susceptis anili superstitione obligemur.“ Hoc tantum addi licebit, quae passim a viris sanctissimis illorum temporum simillima Evangeliorum traduntur, tamen a pellucido hoc veritatis fonte toto, ut dicitur, coelo differre.

Sed antequam res ipsas adgrediar, pauca mihi dicenda sunt de fructu laboris suscepti, ne quis his perlegendis operam perdere sibi videatur. Enimvero, id quod grato in Deum animo profiteor, multo quam putaram et majora et clariora inveni lucis divinae priscis Britonibus obortae vestigia, de quibus altum est in historia Catholicae quae dicitur ecclesiae silentium. Nam fontem illum, ut hac similitudine utar, perennem, unde omnes Christi nomen profitentes bibimus, terrae coelitus quondam immissum, non longe ab ortu eheu! receptis undique, alienis aquis turbidum factum, quum interea homines saluberrima potione se compleri gestiebant — hunc ex Oriente instar Alphei amnis occulta subter mare via profluentis in insula boreali emergentem cernere licet, integro et candore et calore, coeli dumtaxat temperie refrigeratum, deinde pedetentim in generosas virtute notiva terras redundantem suaque dulcedine rigorem earum mitigantem, donec Tiberini, imperiosi torrentis fluctus, magica quadam arte infusi, iterum iterumque omnia turbarunt, miscuerunt, ultimam denique limpidae aquae scaturiginem obruerunt. Hinc jam purioris aquae rivuli non manare nisi per subterraneos veluti cuniculos, quos consecrari tantum abest ut tardi ingenii esse duca-

*) Praeter Usserium ex recentioribus Buchananum Scotum (Rer. Scot. hist. Edimb. 1583 quam 1565 scripsit) tanto libentius consulendum putavi, quanto magis is scriptor non solum iudicii subtilitate et sermonis quoque latini elegantia commendatur, sed veram majorum suorum pietatem in hoc certe opere agnoscit. Cf. Stud. et Crit. theol. 1842. Fasc. I. p. 871. Ex recentissimis Lappenbergio multo plura accepta referremus, si ipse eadem, qua rerum civilium statum ac vicissitudines viis inusitatis indagavit multaque adhuc recondita ex Valesiorum scriptoribus attulit, diligentia res sacras priscorum Britonum esset persecutus nec passim admirationi rerum gestarum atque eventuum, ut historici solent, plusculum etiam, quam concedit veritas, esset largitus. In quo si duos istos scopulos, Humium et Lingardum, ut equidem opinor, vitare voluit, certam tamen in illo dijudicandi rationem desidero. Multa certe, quae ad rem nostram evidenter faciunt, in medio reliquit.

mus, ut hac via ad ipsos fontes perventuri nobis videamur. Sed, ut jam apertius animi mei sensus pronuntiem, ecclesiae Britannicae primordia ac fata iterum iterumque contemplantem tanta simul admiratio miseratioque me incessit antiquorum illorum virorum, qui iniquissimis temporibus labantem templi sui molem quum suis quasi humeris sustinuissent, exemplo magistri sui cruciferi corroborati, tum impares oneri ferendo una cum eo corruerunt — ut, quod tragicum magis dici possit, nihil inveniam. Etenim, quod M. Tullius ait (ad Fam. V, 12.) si „ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum — at viri saepe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, expectationem, laetitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissima lectionis voluptate“ id cum in recensendis fastis, quos Usserius aliique enumerarunt, experire, tum maxime ex ipsis adversariorum narrationibus sentire poteris, quum quid in quaque re verum sincerumque sit, explorando perspexeris. Nam, si singulorum et optimorum quidem, qui praeter ceteros et invidiam et poenas sustinuerunt, indolem in universam gentem conferre licet — ingenuam quandam videbis regni divini subolem incerto parente genitam, ineunte pueritia virorum fortissimorum robore confirmatam, haud omni labe carentem, innatae quippe virtutis conscientia elatam — quod ei crimini datum est — deinde per varios casus sparsaque discordiarum venena fractam, mox, ubi ad sanam mentem rediit, denuo erectam atque ut patriae libertatem, gloriam, religionem contra foedissimos praedones aliosque hostes transmarinos tueretur enitentem — tum circumventam malis artibus, insidiis, fraude sub integumento religionis oblata, desertam a vulgi insipientia et pravitate — denique oppressam vi et misere pessumdatam, postremo, ut etiam ultimum miseris solatium deesset, causa cadere posteritatis iudicio condemnata — haec qui uno quasi in oculorum conspectu posita videat, quis aequo animo ferre possit, quis non tot tantisque malis illacrymetur! Utinam vero in his non magis victricis causae improbitas, quam arbitrii divini, quod provocare adversarii solent, decreta essent deploranda!

Age jam videamus, quid de primordiis sive incunabulis ecclesiae Britannicae statuamus. Quae si quis in provincia Romana quaerat, diversam ab ea Beda monstrat regionem haec referens (l. I. c. 3.): „Marci Antonini temporibus quum Eleutherus vir sanctus pontificatus Romanae ecclesiae praecesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piae postulationis consecutus est susceptamque fidem Britanni usque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quieta pace servabant.“ At vetus erat illius gentis opinio, antiquitus recepta, Britannos jam inde ab initio orti Evangelii Christianam accepisse religionem. Huc pertinent Gildae turgida de ea re verba, quae praetermissa a Beda tritarum aurium bona venia apponere liceat: „Interea (inter XXXVI vulg. aerae annum et LXI) glaciale frigore vigenti insulae et velut longiore terrarum secessu Soli visibili non proxima verus ille (Sol) non de firmamento temporali sed de summa etiam coelorum arce tempora cuncta excedente universo orbi praefulgidum sui coruscum ostendens, tempore, ut scimus, summo Tiberii Caesaris (quo absque ullo impedimento ejus propagabatur religio, comminata Senatu nolente a principe morte delatoribus militum ejusdem) radios suos primum indulget, id est, sua praecepta Christus.“ lib. quer. p. I. hist. c. 6. Quae quum difficilem haberent intellectum nec ad vivum resecuri posse viderentur, Beda ut circumspectus rerum certissimarum auctor neglecta traditione peregrinae gentis certiora quae fortasse ex Curiae Romanae scrinio („per religiosum Londoniensis ecclesiae presbyterum Nothelmum“ cf. Praef.) an ex Ana-

stasii libro pontificali? didicisset, dedit, verae lucis ortum non ab Oriente, sed a sede Apostolica repetens. Cui tamen constans inter Britannos, praecipue Wallenses s. Cambrenses refragatur fama, qui ex Oriente atque ab ipsis Apostolorum Philippi et Johannis discipulis evangelium traditum se tenere perpetuo asseverarunt. Longum est commenta monachorum multo posteriorum inde deducta recensere vel sexcentas istas de Lucio rege fabulas commemorare (quas qui scire voluerit Usserium adeat); itaque nihil dicimus de S. Paulo, S. Andrea Apostolis, de duodecim Philippi Ap. discipulis, de Josepho Arimathaeensi*) aliisque viris sanctis, qui ex oriente in Britanniam venisse traduntur, nihil de inclytissimo illo Sancto Graal ex terra Sancta pignoris loco illuc delato— quae omnia inferiorum temporum superstitionem redolent atque Usserio quoque Normannorum adventu antiquiora non esse videntur. Nec tamen summa rei ejusmodi est, ut in iis, quae Guilielmus Malmesburiensis, historicorum Britanniae post Bedam praecipuus de antiquitatibus Glastoniensis ecclesiae (in Wallia sitae) attulit, nihil verum esse videatur. Sed paucis haec ut cetera absolvi oportere intelligo. Nam quoniam ejusmodi quaestionibus nimis sedulo operam danti ex tot locis, testimoniis, sententiis, argumentis inter se comparatis invito mihi sensim, ut fere fit, tantum succrevit volumen, quod angustiores hujus instituti terminos vel decies magnitudine sua exsuperet: jam nihil, ne frustra operae pretium fecisse videar, faciendum erit nisi ut strictim ac tenuiter recenseam, quae vel gesta esse vel, mea quidem sententia, quamvis in multis a vulgari, quae adhuc fuit, diversa, probabilia reperi, omissis, quae vulgo nota sunt, argumentorum vero molestam copiam, si qui expetitur sunt, uberiolemque rerum expositionem vel alio loco vel singulari quodam opere, si Deo placet, exhibiturum me esse polliceor.

Incunabula igitur ecclesiae Britannicae, ut modo ostenderam, non in provincia Romana, sed apud liberam Cambrorum, qui postea Wallenses (Gualenses) nuncupati sunt moresque suos vetustos inde a Romanorum dominatione custodierunt (Solinus) gentem in occidentali insulae parte habitantem invenio, eaque non a Romanis legatis, sed ex Oriente per discipulos Philippi et Johannis, qui in Asia (minore) commorati erant (Euseb. hist. l. V. c. 24 demonstr. evang. III, 7.) ad illos perlata.

Ad Lucium (LUC in nummis) „Britwalanorum“ regulum, socium fortasse atque amicum populi Romani, qui a suis Lever Maur i. e. Magna Lux, postea vocitatus est, Eleutherus, episcopus Romanus, qui libellum de Paschatis diebus festis rite h. e. eodem cum Romana ecclesia tempore celebrandis edidisse traditur, ann. circiter 180. doctores misit, non qui tunc primum Cambrorum gentem sacris Christianis initiarent, sed,**) quemadmodum rex rogaverat, „regenerarent in Christo“ vel ad „catholicae ecclesiae unitatem“ qualis eo ipso tempore ab Irenaeo quoque, clarissimo inter Gallos teste, desiderabatur, „congregarent vel inclinarent,“ eodem consilio, quo Victor, Eleutheri successor, acerrimus unitatis illius contra Orientales propugnator, Severi imperatoris tempore ad Donaldum, Scotorum Albiensium regem, qui finitimas Walliae ad septentrionem regiones incolebant, misisse fertur. Hinc „Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita“ Tertull. At Cambrenses quum Asiatici, quibuscum commercium habebant, in paschate celebrando consuetudinem Judaeorum vel potius Johannis Apo-

*) Johannes Capgravius in vita Josephi: „Joseph de Marmore“ alias: „Marmorica“. Quod quum ille de Arimathia interpretetur, equidem pro Aremorica scriptum esse suspicor h. e. eo Galliae tractu, unde primi doctores venisse ab aliis quoque feruntur. cf. Usser. c. 2. **) „ad correctionem Regis et Procerum regni Britanniae“ cf. Usser. p. 102. Anastas. vit. Pont. Lappenb. T. I. p. 47.

stoli exemplum sequerentur, Occidentales tempus ipsum accuratius observandum esse contenderent, utrique Apostolorum auctoritate niterentur, libera quadam contumacia adhibita*) morem sibi ab Orientalibus traditum custodiebant „sine charta et atramento scriptum habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, in unum Deum credentes fabricatorem mundi per Christum Jesum Dei filium“ quales ejusmodi gentes barbaras Irenaeus clarissimo illo, quod adversarii advocare solent, de auctoritate traditionis in ecclesia Romana asservatae testimonio**) designat, utpote „qui perquam sapientissimi sint per fidem et placeant Deo conversantes in omni justitia et castitate et sapientia.“ Lucius vero num „Academiam Banchorensis in gratiam bonarum artium et virorum literatorum s. Christianorum philosophorum collegium constituerit (Antonini Pii Imp. qui per provincias rhetoribus ac philosophis omnium sectarum annua praemia constituerat, exemplum nescio an secutus) atque ad aedes sacras extruendas artificum Romanorum opera usus fuerit, non tam ex Cambrensis fama quaedam ejusmodi perhibente, quam ex monumentis aedificiorum antiquissimorum, quae ad utramque Urbem Legionum (Iscam Silurum et Devam coloniam s. Carleon et Chester. Girald. Cambr. Itiner. Cambr. l. I. c. 5. cf. Lappenb. I. p. 50) reperiuntur, aliisque argumentis diducendum erit. Satis vero constat perpetuo atque etiam ante adventum Anglorum ecclesiam Glastoniensem in insula Avalloniae constructam „primam in Britanniae fuisse habitam ac fontem et originem totius religionis“ Usser. p. 115. cf. p. 18.

In provincia Romana jam ante Lucium jacta fuisse quaedam ecclesiae fundamenta, sparsa saltem veritatis Christianae semina, et Romanorum quidem civium beneficio, verisimile est. Quanquam ea cum propter praetorum vigilantiam, tum propter severa Imperatorum edicta non palam fieri aut legitimam s. publicam, ut inter Cambrenses, qui sui juris essent, formam induere potuisse sed conventiculorum terminis circumscripta, vel alia forma ad scita latuisse videntur.***) Quodsi vero quis Clementis patris Apostolici aliorumque patrum de Paulo Ap. in Britannias profecto testimoniis parum definitis eo adductus fuerit, ut cum Kestnero†) eundem Clementem Romanum ††) clandestinis consiliis ut in ceteras provincias ita in Britanniam imperiosum illum nobilium s. Senatus Romani dominatum introducere conatum esse credat, novae ad id religionis specie adhibita: gravissimum ejus

*) hanc fortasse fervidioremque Gallicanorum fidem respiciens Gildas, qui pro unitate ecclesiae catholicae certare sibi videtur, Christi praecepta ab incolis tepide suscepta esse, apud quosdam integre et alios minus — affirmat l. quer. p. I. c. 6. **) advers. haeres. III. 4. cf. Stud. et Crit. Theol. 1842 Fasc. II. ***) Quorum aliquod vestigium nonnulli in Taciti (Ann. I. XIII, c. 52) verbis quaesiverunt: „Pomponia Graecina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannia retulit, nupta ac superstitionis externae rea mariti iudicio permessa — imperitante Claudio.“ Religionum Christianarum (in Britannia?) susceptorum accusatam sive, ut tunc confundebant, Judaicarum Lipsius credit addens Strabonis illud: „Superstitionis auctores et duces esse feminas. Eas enim viros invitare ad supervacuos nimiosque Deorum cultus et dies festos et venerationes.“ Res satis incerta, nec tamen praetermittendum, quod A. Plautium cum Silurum S. Cambrorum gente arma contulisse „proximamque partem Britanniae in formam provinciae paulatim redactam esse apud Tacitum legitur. Agric. c. 14. cf. Ann. XII. c. 32. c. 39. †) Prof. theol. Jenensi, jam pridem defuncto, qui anno 1819 doctum edidit opus, quamvis inani acumine conflatum, quod inscribitur: Die Agape oder der geheime Weltbund der Christen, von Klemens in Rom unter Domitians Regierung gestiftet. ††) „quem h. apostolorum princeps Petrus fundata Romae ecclesia Christi sibi adiutorem evangelizandi, simul et successorem consecrasset perhibetur“ Bed. hist. II, 4. „tertio ab Apostolis loco pontificatum sortitus eorum traditionem adhuc auribus suis insonantem habebat.“ Irenaeus.

suspicionis reprehensorem habebit Heubnerum Vitebergensem, qui rem inauditam ac plane indignam firmissinis argumentis confutavit*). Probabile tamen est Christianos multos illis temporibus in castris fuisse (nam religionis causa coire non prohibebantur milites, ex Severi Imp. rescripto, dum tamen per hoc non fiat contra Senatus consultum, quo illicita collegia arcentur Dig. lib. 47. Tit. 22. Lex 1.) vel ingravescentibus atque urgentibus cummaxime vexationibus ad societatum licitarum latibula, ut architectorum collegia confugisse. Num eo sacra intulerint sua, quidve hoc involucro tecti profecerint, parum cognitum est et conjectura tantum assequi licet. Etenim quae post Severi decessum,**) qui postquam „magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum a mari ad mare duxit,, (Bed. I., 5. immo vero Antonini vallum ad Carruntem et Clutham muro transverso communiuit. cf. Lappenb. I. 38 — 40) atque ita provinciam a ceteris indomitis gentibus (Caledoniae) distinxit“, anno 211 Eboraci obiit, intervallo sexaginta annorum usque ad Diocletiani tempora in Britannia provincia gesta sint, nec Beda, nec quisquam scriptorum veterum notavit, nisi quod Origines (in Luc. c. 1. homil. 6.) „virtutem Domini Servatoris etiam in illis, qui Britanniam incolentes a reliquo orbe disjungantur“ agnoscit, et Praetorum Romanorum nomina nonnulla lapidibus incisa exstant, qui per ea tempora variis insulam aedificiis ornarunt. Britanniam autem praeter ceteras provincias Romanorum solertia magnificis molibus exstructis insignitam fuisse, Beda etiam testatur (I, 1.) viginti et octo civitates numerans nobilissimas (Richard Cirencest.: triginta tres, praeterea oppida majora nonaginta duo, colonias novem — in his Castra Legio in agro Silurum — templis, palatiis, basilicis, balneis, Amphitheatris ornata, quod Girald. Cambr. summa cum admiratione commemorat (Itin. Cambr. I, 5.) Accedunt „castella innumera et ipsa muris, turribus, portis ac seris (sic) instructa firmissimis.“ Bed. Itaque seculo tertio, quo opera haec perfecta esse videntur, tanta artificum operariorumque frequentia redundabat insula, ut Constantius Chlorus Caesar recepta Britannia totos eorum greges in Gallias mittere posset.***)

Ex his unus, ni fallor, certe Christianus s. cultor Dei, quanquam non ad praedicandum Evangelium missus (Macphers.) sed profugus, videtur fuisse, quem ad Carruntem, opinor, amnem, non procul ab Eboraco et eo loco ubi Carausius moles maximas exstruxisse fertur (Grahamsdyke) †) intra rupes et in cellis (Druidarum?) commorantem et canentem fingit vates Caledonius, ††) humanissime peregrinum hominem allocutus carminibus illis notissi-

*) Ad editionem quintam libri: Reinhardt's Versuch über den Plan u. s. w. Viteb. 1830. p. 420. sqq.

**) Atqui haec ipsa in tempora a Septim. Sev. morte usque ad Carausium illum „dominum navium“ (Ossian) Aur. Vict. Caes. 39, 39. „gubernandi gnarum“ res illas gravissimas, quae Ossiani carminibus inclaruerunt, incidisse nemo est, qui hodie negare possit. Caracul (Caracalla) Caros (Carausius.)

***) teste Eumenio Paneg. III. pro restaurandis scholis Augustodunensibus et Paneg. Constantio Caesari recepta Britannia dicto c. 21.

†) „Murum istum Grahamsdyke, domum Arthur's Oven et Juliusshoff appellant hodie“ Usser p. 586 cf. Buchanan. Rex. XXVII. Nennius c. 19. Fordun. II, 16. Lappenb. I. p. 43. Rhede Ossian. Der Krieg mit Caros.

††) De Ossiani carminibus si quis etiam nunc dubitat, num Macphersonii ingenio, an Normanorum aetati, an denique, quod ipsae res loquuntur, Scotorum antiquitati, doctrinae Christianae experti, debeantur, is, velim, simplicem illius humanitatem naturaeque iudicia cum opinionum commentis conferat et frigida ista tenuitate vel foeda immanitate, quam Ministerialium

mis quae ad Culdeach i. e. ad cultorem Dei directa sunt. Parvi refert, qui homo a poeta ipso significatus sit, plurimum, de quo cogitaverint illi, qui haec carmina primum nomine isto inscripserunt, propagarunt, per tot secula cecinerunt. Christianum fuisse constans fuit apud Scotos, Hibernos, Valesios fama, eumque de eo genere hominum, qui longo post tempore Culdeorum nomine insigniti inter eos superfuerunt. Quin etiam S. Patricium cum Ossiano disputasse volebant.*) Rei dubiae, famae saltem, fidem facit, quod apud Usserium reperi (qui quidem non magis quam Buchananus Ossiani nomen, licet Giraldo Cambrensi non incognitum, videtur novisse) ex Probi et Iocelini vitis S. Patricii allatum p. 849. sqq. S. Patricium Themoriae cum principibus et Magis**) convenisse, cui intranti coenaculum neminem surrexisse praeter unum poetam optimum, comitem Regis, qui deinde, ut Iocelinus c. 44. addit, baptizatus carmina, quae quondam in laudem falsorum Deorum peregerat, jam in usum meliorem clariora composuerit, eumque Anselmus Cantuariensis Archiep. Fingarem dicit Uss. p. 851. cf. Neand. Memm. III, p. 190. Quod bene conveniret, si Fingalis Filium dixisset, quem rebus gestis, quas tradit, centum amplius annis inferiorem credere licet neque eo minus carmina ejus judicare genuina. Sed de ea re neque hic lo-

Gallicorum prae se ferunt fabulae fictae, atque ultimum de editoris silentio satis suspecto scrupulum evelli sibi patiat *Linkii*, viri spectatissimi, commentariolo, nuncipsum edito (Ueber die Richtigkeit der Ossianischen Gedichte von Dr. F. Link, R. Pr. G. Med. R. Berlin 1843.)

*) Duan a Culdich. Sic inscribitur pugna Lor.

**) Quos Druidas liber Hibernicus vocat Uss. p. 852. Druidarum artificiosa omnibusque numeris absoluta hierarchia jamdudum a Romanis, ubi imperabant, profligata Tacit. Ann. XIV. 29. 30. Suet. in Claud. c. 25. in Cambria ut videtur, a Lucio sublata fuit, quippe ipsis proceribus invisa. Qui quum olim cum Druidis ad plebem in officio retinendam consociati fuissent, sensim, dum „per principes factionibus et studiis trahuntur“ Tac. Agric.) Romanorum institutis edocti domestica mala melius perspicere atque sapere coeperunt impotentemque illam Druidarum dominationem magis magisque recusare ac declinare. Pulsi ex Romanorum Britannia Druidae quum ad suos in Hiberniam confugissent, non eam, quam antea, obtinuisse videntur potestatem. Etenim quum ante penes ipsos jus esset, in reip. temporibus dictatorem, quem Fergubrethum adpellabant, ex nobilibus creandi, qui regio cum imperio esset, quoad Druidis placeret: accidit aliquando, ut unus, qui ita lectus fuisset, potestate se nollet abdicare. Isque ex Ossiani majoribus fuisse fertur, in quorum tunc gente odium Druidarum inveteravit. Itaque civilis discordia exarsit, qua sublata est Druidarum dominatio, regulis aequae ac populo invisa. Medio seculo tertio id accidisse Münterus putat l. l. p. 63. extremo sec. quarto Ferd. Warner the history of Ireland Vol. I. p. 247. quem Neander sequitur in (Memm. III. p. 191.) iis, quae de Cormaco rege refert. Atqui jam Fingalisavus Trathalus, cujus Cormacus fuit ex fratre nepos, ex Morvenorum gente, Druidas relegasse in Hijonam (i. e. Hy. insulam) traditur, ubi per aliquot aetates degisse feruntur, donec S. Columba eorum disciplinam funditus sustulit. Haec si vere prodita sunt, non tam de Druidarum, quorum nulla fit omnino apud Ossianum mentio, quodam fugitivo, quem poeta humanissime excipere videatur, quam de homine Christiano saevitias praetorum Romanorum evitante, erit cogitandum. Nec vero tam benevole poetam, qualem novimus, allocuturum fuisse credideris peregrinos illos Culdeos, si Druidarum in cellis commorantes, eorundem locum occupare disciplinamve adsciscere voluissent. Quam opinionem, etiam a Braunio (de Culdeis p. 3. sq.) quamvis diversa ratione rejectam, non modo Lappenbergio (l. p. 62.) sed Hasio (Kirchengeschichte 4te Aufl. p. 162.) probabilem videri satis mirari non possum. Nam quod hic de Columbae discipulis Hibernicis dicit, Jamiesonium, ut videtur, secutus, id manifesto redargui potest luculentissimis Bedae testimoniis, qui, quum nec Culdeorum nec Druidarum faciat ullam mentionem, tamen illorum pietatem maximis efferre solet laudibus.

cus est, ut plura disputem, nec certiora afferre possim, quam doctissimorum elegantissimorumque hominum ingenia protulerunt. Hoc tantum dico, quod argumentum pro priscis Culdeis ex carminibus illis peti potest, haud omnino, ut a multis fit, sperni oportere. Iam vero difficillima existit quaestio, qui fuerint Culdei isti, quos neque Beda nominat, neque usquam commemorari ante annum 800 Chalmersius (Caledonia Lond. 1807 nescio an etiam nunc) asseverat. Atque distinguendum esse inter priscos et posteriores Culdeos Braunius, qui pro his posterioribus nec infeliciter pugnat, nimirum ut eos in catholicae ecclesiae communione fuisse efficiat, quodammodo concedere videtur, quum dicit (p. 6.): „Quodsi quis objicere velit aetatem eorum fortasse superiorem esse quam hujus rei aperta testimonia loquuntur, non repugnamus quidem id ita se habere posse, simul tamen id in mentem revocatum volumus in historia non de illis rebus agi, quae possint esse, sed de iis, quae sint.“ Quod quum haud temere additum videatur, pro antiquitate nominis apud gentem Scotorum pervulgati quaedam afferri oportebit. Buchan. Rex XXXV. „Scoti — liberati curis externis nihil prius habuerunt, quam ut religionem Christianam promoverent, occasione illinc orta, quod multi ex Britonibus Christiani, saevitiam Diocletiani timentes ad eos confugerent: e quibus complures doctrina et vitae integritate clari in Scotia substituerunt vitamque solitariam tanta sanctitatis opinione apud omnes vixerunt, ut vita functorum cellae in templa commutarentur. Ex eoque consuetudo mansit apud posteros ut prisci Scoti templa cellas vocent. Hoc genus monachorum Culdeos appellabant: mansitque nomen et institutum, donec monachorum genus recentius in plures divisum sectas eos expulit, tanto doctrina et pietate illis inferius, quanto divitiis et cerimoniis ceteroque cultu externo, quibus oculos capiunt et animos infatuant, sunt superiores.“ Quod etiamsi Buch. ex Forduno sive Hectore Boethio traxerit, non modo Meyerus, sed ne ipse Braunius quidem eundem testem dubitavit advocare. Comment. p. 23. Sed vellem locum integrum dedisset, qui hic est: „Inter nostrates eadem fuere tempestate (Constantii Chlorig et Crathlinti regis Scotorum Albiensium*) sacra doctrina pollentes: Amphibalus antistes, Ambianus et Carnocus Dei cultores — Culdei prisca nostra vulgari lingua dicti (quod Braunius an recte de origine nominis interpretetur ut Scotici valde dubito) Christi servatoris doctrinam omnes per Scotorum regiones concionando multis piisque sudoribus seminantes. Hect. Boeth. l. VI. fol. 98. Idem VI. fol. 92.: „Invaluit id nomen apud vulgus in tantum, ut sacerdotes omnes ad nostra paene tempora Culdei i. e. cultores Dei sine discrimine vocitarentur.“ Porro: „Crathlintus rex ad se confugientes benevolo affectu suscepit et ut in Mona (non Mannia cf. Usser. p. 641. 642.) insula (Anglesey) considerent sacra ibidem aede ipsius opera Servatoris nomine erecta, eversis Gentilium templis, Druidibusque et eorum ritibus exterminatis, qui ad id tempus illic (ut Veremundus memoriae prodidit) perduraverant, concessit.“ cet. Proxime hanc Bancorense seminarium erat, unde Valenses sacerdotes suos recipere solebant. Quibus quum semper cum Scotis Hibernisque fraterna intercesserit necessitudo, quis dubitet quin homines Bancorenses veri ac genuini fuerint Culdei? quippe majores eorum „Culdeorum“ qui Giraldo Cambrensi teste partim „in Valesia sedem habebant, honorifice monachi

*) non Caledoniorum, in quibus Fingal regnum habebat, sed eorum, qui in agro Maatarum juxta murum, haud procul ab Eboraco ad Carruntis vel Cluthae torrentem habitabant, socii tunc fortasse populi Romani, postea Dalreudini dicti (Bed. I, 1.) quibus in Hibernia Cairbrieda, in Albania Fergus Usser p. 610. Filius Eric imperasse, sed diversis illi temporibus, traduntur.

religiosissimi ab eo adpellati, partim in insula Monaincha habitabant, devote Deum deservientes“ aliisque insulis, „Coelicolae vel Colidei vocati (Itiner. Cambr. II, 6.) qui a Modlacho episcopo dicuntur viri degentes in schola virtutum (Iamies. Append. p. 370 — 72. Braun. p. 12.) in Monastic. Anglic. Vol. II. p. 430. a vitae genere Philosophi Christiani s. Ascetae, denique adscripti reperiuntur ecclesiae cathedrali Eboracensi ut Canonici regulares S. Iohannis Baptistae, Conventriae in Anglia, ubi Athelstanum, Anglorum regem, nacti sunt patronum. Hic enim regno Scotiae potitus „ut Deo gratias ageret multa dona donavit aliquibus sanctae vitae viris, qui tunc Eboraci dicebantur Colidei, ut in posterum melius possent alere pauperes et hospitalitatem exercere.“ Mon. Angl. Vol. II. p. 368. Sed necum his posterioribus antiquos illos confundamus neve pro peculiari quodam monachorum genere habeamus, jam inquirendum erit in usum, quem ea adpellatio diversis temporibus habuerit, ipsumque nomen exquirendum. Cujus vim quum Braunius „eos ipsos qui Galice sciunt, latere, formam autem Culdei, Celedi, Celdei aperte corruptam esse“ fateatur, inanis sane et supervacanea opera esse videtur, originem vocabuli, quod ille fecit, ex Scotica sive Galica lingua repetere. Constat hanc ad sextam fere partem Latinis vocabulis esse refertam: quid impedit, quo minus Culdeach, Culdich nomen ex Latino verbo depravatum, stirpe Latina, terminatione Gallica (each sing. ich plur. num.) esse statuamus? Quod quum multi suspicati sint, tamen unam in eo rem omnes, quod sciam, non viderunt, eamque talem, quae meo quidem iudicio controversiam dirimere possit. Nempe „Cultores Dei“ antiquissimo nomine vocantur Christiani, non laudandi causa, sed vulgari usu, qui in provinciis transiit, nec tantum apud scriptores primorum seculorum, ut passim et crebro apud Lactantium, verum etiam publice in rescriptis Principum, quae „Domitius (Ulpianus) collegit, ut doceret, quibus poenis affici oporteret eos, qui se „Cultores Dei“ confiterentur.“ Lact. instit. V. c. 11. Quid quod apud Euseb. hist. VIII., 13. legimus: „Apud Principes (Dioclet. Maxim.) ne ipsum quidem cultorem Dei (θεοσεβῶν) nomen proferre fas erat.“ Quo crimine quum idem scriptor Constantium Chlorum liberet, quippe cultores Dei: qui sub ejus imperio erant, immunes ab omni noxa servantem: tanto magis ut in Galliis ita in Britannia id nomen simpliciter usurpatum fuisse pro homine Christiano dicemus, Deum, non Deos colente. In variis autem verbi interpretationibus omnes eo conveniunt, ut servos Dei S. Deo servientes denotari dicant. Crescente post Constantinum M. Christianorum numero, quum eorum religio publici juris facta esset et permulta nova introducerentur, factum est paulatim, ut quod nomen primo latius patuisset ut omnium Christianorum commune, postea non retineretur nisi ab iis, qui antiquum animi vel corporis quoque habitum servarent, a sacrorum publicorum solennitate separati sive „sequestrati“ (sequestered. Macphers.) Itaque seorsum a ceteris alii solitariam vitam ut Anachoretae, alii gregatim ut monachi vel potius coenobitae, nec tamen inertiae se dedentes sed agris colendis, in Wallia potissimum stanni metallis exercendis operam dantes degisse videntur. Neque vero non enixius pro laborioso aequae ac sancto vitae genere cum exstruendis aedibus sacris, basilicis, coenobiis, artificum sodalitis usi, tum qui doctrina ceteros praestabant juventuti optimis artibus erudiendae atque ad pietatem sacerdotique munera obeunda conformandae studium navare coeperunt, id quod multis vestigiis cernere licet. Ita suis et humanioris et veritati virtutisque Christianae devotae vitae auctores exstiterunt et magistri. Sed quoniam ex Oriente pendebant, traditionemque quam inde se accepisse praedicabant, ut homines antiqui ac strenui, abjicere nolebant, Pontificiorum, multa novantium, invidiam subierunt. Ban-

coria, munitissima eorum arce, diruta simul res cum nomine*) obliterata sensim in Anglorum certe ditone interit ejusque memoria ita obscurata fuit per aliquot secula, ut Beda „Culdeorum“ vocabulum sive incognitum sibi ut homini Anglo, sive obsoletum, sive ingratum suis praetermitteret, atque adeo, ubi aliquas certe illorum reliquias, ut in Northumbria et in Hiënsibus monachis, reperiret, de industria vitaret vel alia voce ut servorum s. famulorum Dei qua ipse de se utitur significare mallet. Nec vero, quod etiam in Gildae libro nomen id desideramus, rem dubiam efficere potest: quid enim, si ipsum Gildae nomen non proprium est sed adpellativum, quod dicunt, et Ceildam h. e. Culdeum significat, quo uno remedio omnis controversia de tot Gildis, qui falso hoc nomine ferri putantur, sublata est. Quod tamen doctis inquirendum relinquimus.

Redeo ad illud tempus ecclesiae gravissimum, quo „perfidorum Principum mandata adversus Christianos saeviebant, Diocletianus in Oriente, Maximianus cognomento Herculus in Occidente per decem annos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, caedibus martyrum“ nomen Christianum exstinguere conabantur. „Quae persecutio omnibus fere ante actis diuturnior atque immanior — denique etiam Britanniam cum plurima confessionis Deo devotae gloria sublimavit“ Bed. I, 6. 7. Sed ea, quantum ego in rerum traditarum caligine dispicere possum, multo citius in Britanniam ingruit, quam Beda, Orosii verba repetendo, significare voluit, deinde ejus narratio ita involuta fabulis est, ut etiam Gildae simplicior esse videatur. Neque enim primo aerae, quam vocant, martyrum anno i. e. 303, qui annus vulgo perhibetur, sed decem vel novem annis ante a. 293 opinor vel 294 Sanctus Albanus, paganus „adhuc“ non rusticus, nec miles gregarius, sed magister equitum, eques Romanus, nobilis civis Verolamiae civitatis, Architectorum collegio patronus ac gubernator a Carausio Caesare datus, quo tempore is palatium in urbe Verolamio aedificari atque hanc moenibus cingi jussit, nec sane a Carausio, sed ab Allecto, qui hunc ipsum oppressit, quod Maximiano gratificari vellet, supplicio est affectus propter Christum. Nam quum hominem Christianum persecutores fugientem hospitio recepisset, ab eoque sacris Christianorum initiatus esset, pro hospite ac magistro suo „ipsius habitu i. e. caracalla indutus“**) militibus sese exhibuit, atque ita capite plecti jussus Johannis Baptistae exemplo

*) nomen ipsum varie scriptum reperitur: Culdeus, Colidei (monachorum barbarorum esse videtur ex similitudine Coelicolarum, haeticorum quorundam) — deinde ex varia sive Gallica Armoricanorum sive Gualica pronuntiatione, qua non tantum C, K, G, Gu, sed etiam u, uy, yu, iu, i, ei, e literae inter se commutantur: Keldei, Kelledei, Killidei, Ceile-De (*Κελλεῶται Κελλιδῶται*) — denique terminatione Galica s. Ersica sing. et plur. num. Cuildeach, —ich. Conferantur nomina Pictich (quod interpretantur picti, de coloribus inductis — Ammian. Marc. Claudian.) Cruithneach (Usser p. 1018.) Druitnich, Dryutnich (Meyer l. c.). — Prior vocabuli pars in aliis quoque nominibus adparet ut in Celepeter (Famulus Petri) Celechrist, Gilchristus, Koldsaxo, Kilda — Gilda? Confer sis ad sensum nomen Vincentii de Deicola quem Usser. p. 539. Columbani discipulum vocat. praeterea „solemne est literarum monumentis, vocabulis Eremitis Canonicis, Keledeis haec fere alia addere: Deo servientibus et servituris Braun. l. c. p. 26. ex quo haec, quae attuli, tantum non omnia me didicisse fateor, ita tamen ut, pace viri doctissimi dixerim, Hectorem Boethium et Buchananum plus vidisse existimem, siquidem nominis originem non ex alia nisi Latina ex lingua repetiverunt.

**) „mutatis dein mutuo vestibus“ Gild. Caracallam Gallicum vestimentum, quod Caracalla Imperator (lacte Christiano educatus Tertull. ad Scapulam c. 4.) primus et ipse induit et ceteros

princeps inter Britannos propter veritatis et caritatis testimonium factus est martyr. Rem „signorum miraculis mirabiliter adornatam“ (Gild.) Beda ex ambigua atque fluctuante vulgi fama (an ex Germani, qui amplius centum annis post b. martyris sepulcro revulso massam pulveris secum abstulit, Bed. I. 18. vita ab Errico (Uss. 153.) vel Constantio scripta?) satis incredibilem dedit, certior quaedam ex Const. Ebor. galice scripta narratio miraculo eximit. Verolamii postea (decem annis post. Floril. ad annum 313. miro tabulatu lapideo) ecclesia mirandi operis est exstructa, in quo loco, inquit Beda, usque ad hanc diem curatio infirmorum et frequentium operatio virtutum celebrari non desinit. Passi sunt Legionum urbis cives duo ea tempestate Aaron et Julius aliique diversis in locis.

Constantius Chlorus, qui vivente Diocletiano Galliam Hispaniamque regebat, vir summae mansuetudinis et civilitatis, his verbis ex Eutropio allatis a Beda de caedibus illis purgatur, quanquam ab anno 296, quo Britanniam recepit, usque ad annum 306, quo Eboraci decessit, insulam ipse rexisse videtur. Ab Eusebio (hist. eccl. VIII, 13.) ita laudatur, ut eum non tantum pro indulgentissimo Christianorum fautore, verum etiam in numero Cultorum Dei habere possis, quod neque ecclesiarum aedes subverterit, et unum quidem summum omnium Deum agnoscens, eorum vero, qui plures Deos colerent, impietatem condemnans, omnes suos paterna quadam cura ac sollicitudine fovexit adeo ut multitudo eorum, qui in ipsius palatio simul versabantur (inter quos etiam erant ministri (*λειτουργοι*) Dei) nulla re ab ecclesia differret. Eus. vit. Const. I. 13. 16. 17. Eodem fere modo Lactantius de mort. persec. c. 15: Constantius, ne dissentire a majorum (Caesarum vel Imperatorum) praeceptis videretur, conventicula id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit c. 16: Vexabatur ergo universa terra praeter Gallias. Eusebius de martyribus Palaestinae (quorum permulti in Britannias confugisse videntur): „Gallia et quaecumque ad occasum solis porriguntur — quum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli expertae essent — pace fruebantur.“ Tantum igitur abest, ut famosa illa martyrum aera, qua Beda Orosii verbis etiam Britannos vexatos esse scribit, a Gilda nescio quamobrem novennis dicta, in receptae a Constantio Britanniae imperium inciderit, ut quum is anno 296 insulam oppresso per Asclepiodotum legatum Allecto, S. Albani interfectore, post decimum a Carausii occupatione annum rursus imperio Romano adjunxisse tradatur, multo Britannia prius vexata et Maximiani quidem „mandatis“ esse videatur, quam reliquae imperii partes, multo citius etiam liberata. Mirum videri potest, quod Eumenius, laudator Constantii Chlorig et Constantini M.

induere jussit, Beda accipit pro cucullo clericorum, Usserius p. 151. cum hospitis nomine, quod Amphibalum fuisse ferunt, quasi graeca vestimenti adpellatione contendit. At Const. Ebor. Amphibalum quendam ex Urbe Roma accessitum S. Albano equiti; „doctorem“ extitisse tradunt. In quo miror, quod non quispiam de Annibaliano cogitaverit, qui anno ante 295. Consul fuit cum Asclepiodoto, per quem legatum Constantius a. 296. Allectum oppressit. Eundem Amphibalum, S. Albani doctorem, Girald Camb. ex Urbe Legionum s. Cair Leon oriundum refert Hector Boeth. (v. supr.) a rege Scotorum receptum in Mona insula consedissee. Ergo Culdeus fuisse videtur. Quod S. Albano, qui cum eo negotium habuisset, fraudem quodam modo tulit. Nam eo tempore, quo Culdeorum institutum denuo effloruerat, circa annum 970. ab Abbate S. Albani in cujusdam magni palatii fundamentis repertum est cujusdam codicis ignotum volumen, idiomate antiquorum Britonum, historiam de S. Albano qualis in ecclesiis Anglorum solenni more olim secundum Bedam recitabatur, praeterea vero commenta Diaboli continens! Usser. q. 153.

filii, quum utriusque clementiam tantis extollat laudibus*) nihil in panegyricis suis de illorum in Christianos clementia**) praedicaverit. At is, quum in Galliis Constantii Chlori Caesaris fuisset „magister sacrae memoriae“ id est libellis et epistolis faciendis signandisque rescriptis, deinde in Aeduensium scholarum moderatoris defuncti locum Augustoduni a Constantio suffectus esset, et ipse ut aulicus in exordio orationis, quam recepta Britannia non solum ad Constantium, sed etiam ad socerum ejus Maximianum Herculum direxit, „quam sollicitè in eo genere orationis fuerit veneratio“ fatetur, et aetate jam affectus si minus a Christianorum sacris alienus at certe non initiatus fuit, siquidem ne in ea quidem oratione, quam anno 310 ad Constantinum M. habuit, ubi nullas cautiones res videbatur habere, quidquam ejusmodi prodit. Itaque quod Constantio patri pro „exstructione veterum domorum et refectione operum publicorum et templorum instauratione“ gratias agit, non ad aedes Christianorum sacras, ne in Galliis quidem, referri licet. Attamen, quae proxime post vexationem commemoratam a Beda Gildae verbis in Britannia gesta esse traduntur: (I, 8.) „At ubi turbo persecutionis quievit, progressi in publicum fideles Christi, qui se tempore discriminis silvis ac desertis abditivè speluncis occultaverant, renovant ecclesias ad solum usque destructas, basilicas sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde atque ore conficiunt“ ad Constantii annos extremos vel eos, qui proxime sequuntur, pertinere censeo. Nam statim Beda suis quidem verbis ita pergit: „Mansitque haec in ecclesiis Christi, quae erant in Britannia, pax, usque ad tempora Arrianae (sic) vesaniae, quae, corrupto orbe toto, hanc etiam insulam, extra orbem tam longe remotam, veneno sui infecit erroris.“ Jam Gilda praeceunte: „Et hac quasi via pestilentiae trans oceanum patefacta, non mora, omnis se lues haereseos cujusque insulae novi semper aliquid audire gaudenti et nihil certi firmiter obtinenti, infudit.“ Additur: „His temporibus Constantius in Britannia mortem obiit. Hic Constantinum filium ex concubina***) Helena creatum, imperatorem Galliarum re-

*) pro restaurand. schol. c. 8. tanto (Constantius) studium literarum favore prosequitur, ut non minus ad providentiam numinis sui existimet pertinere bene dicendi quam recte faciendi disciplinam et pro divina intelligentia mentis aeternae sentiat literas omnium fundamenta esse virtutum, utpote continentiae, modestiae, vigilantiae, patientiae magistras.

**) alia pro Constantio testimonia apud Usserium p. 170. 171. cf. Gieseler histor. eccl. T. I. ed. III. p. 218.

***) Quod adpellationem hanc sane invidiosam de muliere sanctissima usurpaverit Beda non magis quam quod idem, Eutropium secutus, Constantinum non natum, sed creatum in Britannia scripsit, magnopere quinquam movebit, qui (ut Usserii, contra Justum Lipsium Camdeni sententiam defendentis, verbis utar p. 192.) consideraverit ex Anglo-Saxonum gente fuisse illum, qui et Britannicarum antiquitatum inscii et a rebus Britonum ornandis animo fuerunt alienissimo. Neque vero soli Britones in insula sua natum fuisse Constantinum tradiderunt: idem senserunt inter externos, cet. et matrem Helenam Britannici regis filiam fuisse Coëlli s. Chœli regis Britonum in quadam Chronica satis authentica legitur. Usser. cf. Lapp. I, 44. Paneg. vet. p. 192. et 207. Ab eo posteri Walensium septentrionalium reguli genus ducebant, qui jam antequam Romani Britannia cederent hostes Wallia pepulisse feruntur (Lapp. p. 54. Cunedu Wledig i. e. Augustus cf. Wladica Montenegrinorum). Illius autem filiam Helenam Constantius Chlorus anno 271, in matrimonium duxerat, quum ad pacandam Britanniam ab Aureliano missus fuerat, sed eam postea repudiare coactus est, quum Theodoram, Maximiani Herculi privignam in conjugem acciperet Caesaris nomine (Vict. et Eutrop.) Quodsi illa, a marito repudiata, apud suos commorabatur, Coël autem rex, Glastoniae sepultus fuisse traditur Uss. p. 176.: aliquamdiu certe Constantius minus favere Christianis, ut Hector Boeth. opinatur, poterat videri. Eadem vero Londoniam muro cinxisse et Coleestriam moenibus

liquit. Cujus temporibus Arriana haeresis exorta“ cet. Itaque in reficiendas atque instaurandas aedes sacras aliquam certe curam, antequam vita excederet, quin contulerit Constantius nihil est, quod dubitem, praesertim quum aliunde constet, inter illas Christianorum vexationes jacuisse opificum artem, donec Constantius eam denuo erectam sublevarit, Constantino autem filio imperante mox simul cum religione effloruisse ita ut aedes sacrae nonnullae et magnifica quaedam aedificia Romanorum architectorum artificio tunc sint exstructa. Maximas vero in ea re Helenae partes fuisse, adeo probabile est, ut ab ea etiam Amphibalum (s. Annibalianum) ab Urbe Legionum ad S. Albanum missum ista tempestate fuisse suspicari possis. Quod nemo forsitan miretur, qui feminae ingenium solers aeque ac religiosum ex Eusebio cognoverit (vit. Constant. l. III.) quippe quae Bethlehemi et in monte olivarum templa aedificarit, cujus instinctu in sancto sepulcro Domini quasi novum templum Hierosolymitanum a filio sit erectum columnarum et marmorum venustate ornatum. Exin jam major in dies religiosorum hominum, qua dudum consueverant „trans oceanum“ navigantium multitudo, qui Constantini M. Helenaeque exemplum secuti vel S. Serv. sepulcrum venerandi causa adire vel templi illorum cura illic exstructi ad normam ac regulam suas construere cuperent aedes, praeterea etiam ex Oriente veram lucem adipisci gestirent. Sed ne longius abeam, hoc dixisse sufficiat, Constantini M. auspiciis ecclesiae Britannicae, inprimis Cambrensis primordia quam maxime esse corroborata.

Omnium igitur veterum gentium princeps Britannia cum mitissimum in Christianos nacta est moderatorem, tum amplissimum potentissimumque universae ecclesiae dedit patronum, in Britannicae matris gremio educatum. Is sane „suscepto imperio nihil egit prius quam Christianos cultui ac Deo suo reddere.“ Lactant. Quemadmodum vero cultores Dei tanto ac tali fautore usi ea, quae reddita sibi tenebant ad jus corporis sui i. e. ecclesiarum, ut in literis de restituenda ecclesia ad praesides datis apud Lactantium de mort. pers. c. 48. legimus, non hominum singulorum pertinentia, vel loca, ad quae convenire consueverant, instituerint, adornarint, digesserint, in majus aucta distribuerint, disciplinam ordinauerint, certas sibi ecclesiarum formas, antistites constituerint, atque singularum terminos descripserint — num suo Marte an Romani episcopi auctoritate — horum omnium nihil ex illo tempore reperio. Verisimile est, Britannorum ecclesiam ad Gallicanae, Valensium potissimum ad Armoricanorum similitudinem fuisse conformatam, quibuscum Britonibus antiquitus intercedebat necessitudo, jure hospitii et affinitatis confirmata, Caes. b. Gall. Bed. l. 1. Itaque in Arelatensi Synodo ad causam Donatistarum cognoscendam ab imperatore anno 313. convocata, in maxima Episcoporum „ex infinitis prope locis accepto partim publico vehiculo coactorum frequentia (Euseb. hist. X. 5. 6.) tres ex Britannia episcopi adfuerunt, ut nomina subscripta testantur (Concil. Gall. T. I.) Eborius Episcopus, de civitate Eboracensi, provincia Britannia. Restitutus Ep. d. civ. Londinensi, prov. suprascr. Adelfius Ep. d. civ. Colonia Londinensium (quam varie interpretantur) exinde Sacerdos Presbyter Arminius Diaconus. In quibus si Cambrensi episcopum, ut metropolitanorum tertium,

adornasse fertur Henr. Huntingd. l. I. vel rogatu matris Constantinus M. Imp. Camd. ex patris historiis. Uss. ibid. Certe quod Euseb. (vit. Const. I. 17. 21.) ait, Constantium universam familiam, conjugem, ac liberos cum omnibus ministris qui ultimo vitae die instar cujusdam chori ipsum undique cingebant, uni omnium regi Deo consecrasset, potius ad Helenam, quam ad Theodoram pertinere videtur.

Urbs Legionum antistitem, semper fuisse iidem constanter affirmarunt:*) quidni Col. Lond. pro Urbe Leg. s. Caerleon accipiatur, quum nemo hodie sciat, ubi illa sita aut quae civitas fuerit? nisi forte antiqui illi Cambrenses ut homines frugi ac rustici ab inani verborum concertatione rebusque alienis sese abstinerunt. Nicaenae Synodi anno 325 ab eodem Imperatore habitae decretis quod Britannorum episcopi omnes in iis, quae de Paschalis observantiae tempore a patribus sunt sancita, adsenserint quomodo id Usseus ex Constantini epistola ad eos episcopos qui Concilio non interfuerunt (Euseb. de vit. Const. l. III. c. 19.) effici voluerit, non video. Uss. p. 195. Arianam vero haeresin „in Nicaena synodo detectam atque damnatam nihilominus exitiabile perfidiae suae virus non solum orbis totius sed et insularum ecclesiis aspersisse“ (Bed.) ut „letalia dentium vulnera patriae, novi semper aliquid audire volenti et nihil certi stabiliter obtinenti (cf. Bed. verba supra comm.) infingeret“ (Gild.) nemo magnopere admiretur. Etenim Arianis ne adsectatores deessent, ipse Imperator effecit, qui Arium a patribus damnatum postea in gratiam receperit ejusque adversarium Athanasium de sceleribus accusatum itidem condemnari sit passus atque in Gallias relegavit. Ibi quum pater Orthodoxiae apud Treviros commoraretur, vita Aegyptiorum monastica ab eo commendata, quanquam initio cum invidia multorum excepta, sensim tamen a permultis avide arripiebatur magno concordiae detrimento. Quid mirum, quod ista sanctimonia, qualis tunc jactabatur, a Gallis finitimis ad Britones aditum sibi fecerit, qui et affinitate illis juncti, et partim Orientem ipsi partim cum aliis provincialibus Urbem invisere soliti essent? Hieronymus: „Antonius et cuncta Aegypti monachorum examina non videre Hierosolimam: — Divisus ab orbe nostro Britannus si in religione processerit, occiduo Sole dimisso, quaerit locum fama sibi tantum et scripturarum relatione cognitum. — Nec altera Romanae Urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda. Si auctoritas quaeritur, orbis major est Urbe. Ubicunque fuerit episcopus sive Romae sive — Tanis: ejusdem meriti, ejusdem est et sacerdotii“ quod Usseus p. 203. de Britannorum non tam cum particulari Romana ecclesia, quam cum Catholica et Universali cujus potior sit auctoritas consensu interpretatur. At pro Deum atque hominum fidem! scissa mox ubique ecclesia catholica in duas factiones; dum Latini Athanasii placita acriter defendunt, Orientales et qui cum his sentiebant, Pontificis Romani auctoritatem adspernantur. Nec magis quam pater, Constans, Constantini M. filius, quum anno 343. in insulam hieme navigans Britannorum motus civiles compescuisset, „ferales id temporis Christianorum inter se inimicitias“ rabiem-

*) Girald Cambr. advocat, „tomum Anacleti papae, sicut in Pontificalibus Romanorum gestis et imperialibus, directum Galliarum episcopis.“ Galfridus; „Londoniensi metropolitano submissa est Loegria et Cornubia. Has duas provincias sejungit Sabrina a Cambria, id est Gualia, quae Urbi Loegionum subjacit.“ cf. Monast. Anglic.: „Wallia. Tertia, primum erecta, sedes erat in Urbe Legionum, cui subjacebat Kambria, quam Sabrina a Loegria sejungit.“ Quodsi Galfrido, testi alioquin satis incerto, credere nolumus, eum certe, quem ipse advocat, audire fas est, Gildam, in cujus libro de Victoria Aurelii Ambrosii in scripto ea se reperisse Galfridus affirmat. „Quod autem, inquit, tam lucido tractatu paraverat, nullatenus opus fuit ut inferiori stylo renovaretur.“ Qui liber nisi injuria temporum nobis ereptus esset, melius perspiceremus, vera omnino esse, quae a Gregorii M. P. decretis ad Augustinum Anglorum Apostolum perscriptis (Bed. I, 29.) discrepant. Eundem testem citat „libro primo, capitulo septimo“ ad hanc rem historiologiae Wintoniensis ecclesiae auctor (Usser, p. 57. qui praeterea Gervasium Tillesburiensem et permultos alios scriptores rei confirmandae causa nominat.

que Theologorum sedare potuit, quia etiam accendit „Christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens, in qua scrutanda perplexius quam componenda gravius excitavit dissidia plurima, quae progressu fusius aluit concertatione verborum: ut ceteras antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariae succideret nervos.“

Amm. Marcell. Ita, qui Britanniarum episcopi anno 347 Sardicae ad Arianorum condemnationem et Athanasii absolutionem suos quoque calculos adjecissent, anno 354 Arelatensi concilio formulam, qua Athanasius damnaretur, subscribere coacti, qui recusarent, in exilium missi, ut Liberius, pontifex Romanus, et Hilarius, episcopus Pictaviensis, qui quidem postea ex Phrygia praeter ceteros provinciarum Britanniarum episcopis gratulatur, quod „incontaminati et illaesi ab omni contagio detestandae haereseos perstitissent.“ Quod quum parum conveniens sit cum Gildae et Bedae judiciis modo allatis, quaeritur laus ista satis ambigua quonam referri debeat, ad provinciales an Cambrenses, horum si qui forte interfuerunt? — Jam vero eadem fere tempestate anno 359. ab eodem Constantio Ariminensis in Italia convocata est Synodus contra Antinicaenos, unde nemo episcoporum 400 et aliquanto amplius coactorum domum est dimissus nisi qui formulam nescio quam subscripsisset. Hinc intelligitur locus apud Sulpicium Severum (hist. libr. II. Uss. p. 196.): „quibus omnibus annonas et cellaria dare imperator praeceperat.“ Quod dubito an perperam ad victum in patria praebendum referatur (ut fit a Lappenb. I, 61.) Nam apud eundem scriptorem haec proxime sequuntur: „sed id Aquitanis, Gallis ac Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantum ex Britannia inopia proprii publico usi sunt, quum oblatam a ceteris (intell. collegis) collationem respuissent, sanctius putantes fiscum gravare quam singulos.“ Collegas — ut ego interpretor, nempe per id tempus, quo Arimini commoraturi essent. Quanquam ea jam tempestate Britanniae — prima et secunda h. e. Wallia — „barbarica conspiratione ad ultimam vexatae inopiam“

Amm. Marc. Nec sane magis a barbarorum incursionibus provincia laborabat quam domestica crudelitate eorum, qui Imperatorum, Christianos se profitentium, honesto nomine illi praecerant „vicarii“ (sic enim dicti, quod Constantii jussu Galliarum praefecto parere tenebantur) eorumque rapinis in quibus Paulus Scapula cognomine Catena, inaudita crudelitate saeviebat, tandem propter flagitia a Juliano Apostata supplicio affectus. (Amm. Marc. XXII. 3. ceterum eruditissimi ac locupletissimi auctoris hujus ii ipsi libri, qui injurias istas Britonum opulentissimis ac nobilissimis illatas uberius exposuerant, nescio quo casu perierunt.)

Interea Picti, Scoti et Attacoti Britannos aerumnis vexabant continuis, publicam miserac gentis augentes calamitatem. Accedunt Saxones et Franci maritimi praedones, oras insulae infestantes. Quas gentes ne omnes uno loco habeamus, praesertim Pictos ne cum Scotis confundamus, loco finitimos, moribus dispares, ipse qui eos conjunctim fere nominare solet vetat Beda, siquidem I, 1. quinque gentium linguas Britanniam suo tempore incolentium distinguit, Pictos pro adventitia gente habet, regionem a muro usque ad duos sinus maris, qui terram longe irrumpunt (Bed. I, 12. I, 1. Lappenb. I. p. 53.) inter Caledonios et Britones occupante. „Picti undecunque sunt oriundi nostra adhuc aetate lingua a Scotis et Anglis diversa utuntur.“ Buchananus. Idem: „Picti (a Maximo tyranno) edictum impetrarunt ut Scoti (Albienses, qui propter eos habitabant) omnes ante certum diem Britannia excederent — sed nec a sacerdotibus et monachis qui tum in summo erant honore, Picti, etsi publice Christianis institutis imbuti, injuriam abstinuerunt“. Quod anno circiter 379

accidisse traditur. Idem Maximus, natione Brito, Romana re jam afflicta, Pictos et Scotos pacatos cum Britannorum gente concilians, purpura sumpta quum collecta omni juventute in Galliam transisset, tandem a Theodosio oppressus est. Vindex patriae salutisque auctor, si patriae terminis contentus fuisset. Lappenb. I, p. 56. „Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis universis, tota floridae juventutis alacritate spoliata, quae tyrannorum temeritate abducta nusquam ultra domum rediit, praedae tantum patuit, utpote omnis bellici usus prorsus ignara.“ Bed. ex. Gild. hist. c. 10. Restiterat autem Britonum quasi colonia quaedam — milites limitanei, Laeti — in eo tractu orae Gallicae quae olim Armorica (ad maré sita) dicta, hodie est Bretagne. Post Maximum „Constantinus ex infima militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur, qui continuo ut invasit imperium in Gallias transiit.“ Beda. „sine merito virtutis“ ex Orosio addidit, quod ille a Britonibus et Maximi filius et ex Helenae gente oriundus ferebatur cf. Prosper Aquit. ad annum 407. Ita decrescente quotidie Legionariorum numero, crescente Provincialium odio, magis deerant Britannis universis vires, quam animus ad rebellandum. Britones interea in duas factiones erant divisi. Alteri libertatis cupidi et impotentis externae dominationis, quae Insulanos omni genere crudelitatis et avaritiae vexaret fictaequae simulationis specie deciperet, pertaesi ad Scotorum, virtute ac fide praestantium, societatem inclinabant; alteri praesens quodque otium etsi cum maximis incommodis conjunctum, atque ut erant longa Romanorum consuetudine effeminati, praesidium eorum fragile incertae libertati et certo bello, virtutem requirenti, praeferebant. Quibus Dionothus Brito, ut e servitute Romana se eximerent, auctor exstitit, at statim oppressus est. Britannorum vero omnium ad recuperandam libertatem cum Scotis conspirationem et virtutis Scoticae, qualem ex Ossiano ingenitam genti simulque humanitate quadam temperatam novimus, existimatio et communis patriae caritas praecipue Wallensibus commendabat, nec ita depravatis et antiquae fidei religionisque vinculo aliquo cum illis jampridem conjunctis. Id primum Fergusus, vir plane magni animi et quem secundum regni Scotorum Albiensium (post illum priorem v. supra) conditorem jure liceat appellare, efficere est conatus. Sed frustra. Deinde Graemus, ex nobili Britonum familia Fulgentiana oriundus, qui cum Fergusio princeps fuerat ad vallum Severi, iterum a Romanis instauratum*) diruendum, post Fergusii obitum tutor ejus

*) „a quo perfossum illum murum Grahams-dike appellationem ad hodiernum usque diem retinuisse volunt.“ Usser ad annum 431. Beda I, 12: iam ante Britones legatos Romam cum epistolis mittentes, lacrymosis precibus auxilia flagitarant subjectionemque continuam, dummodo hostis imminens longius arceretur, promittebant. Advecta in insulam legio socios finibus expulit, deinde hortata, instruere inter duo maria murum, rediit. At insulani murum, quem jussi fuerant non tam lapidibus, quam cespitibus construentes, utpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil utilem statuunt. (Architectorum, caementariorum, vel fabrum, qui alias legionibus additi erant, aut nulla Collegia jam supererant, aut si quae forte, quod verisimilius est, apud Eboracum erant, ab altera parte impediabantur.) Rursum igitur mittuntur Romam legati flebili voce auxilium implorantes — rursum mittitur legio — magnasque hostium strages dedit. Tum Romani denunciare Britonibus non se ultra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari, ipsos potius monent arma corripere et certandi cum hostibus studium subire qui non ob aliam causam, quam si ipsi inertia solverentur, eis possent esse fortiores: quin etiam murum (collecta ex tota provincia maxima opificum manu Buch. Rex XLI.) ubi Severus quondam vallum fecerat, firmo de lapide locarunt, et valedicunt sociis tanquam ultra non reversuri.“ At opus inane! Nam Romanis ad sua remeantibus, in-

filiis datus pro rege, pacatis omnibus, aetate atque rebus gestis florens, pacem non modo volentibus, sed etiam cupidis, hac conditione fecit, ut uterque populus antiquis finibus contentus ab alteris abstineret injuriam, terminus autem possidendi utrisque esset Adriani vallum. Idem primus operam dedit, ut Christianorum institutorum doctores, qui Pictorum instinctu pulsati erant, revocarentur, et ne graves populo inopi essent, annuos iis proventus ex agrorum fructibus attribuit, qui etsi exiles ut illis temporibus erant, hominum tamen modestia et temperantia fecit, ut ampli viderentur. Hanc rerum civilium faciem, qualem Buchananus, quamvis ex Forduno adumbratam, descripsit, multo veriore esse putamus, quam Gildae et Bedae, qui partium studio ducti nihil de „Pictis Scotisque“ nisi latrocinia referre solent. Nec deerant certe inter Britones ea tempestate, qui patriae caritate ducti inter duas gentes parietem illum intergerinum qui sepimento inserviret, discordiam tollendam, unam denique salutem in conspiratione bonorum omnium ad recuperandam libertatem atque ad transmarinas istas artes, quae extrinsecus importatae non tuendae, sed dissolvendae religionis essent, expellendas esse censerent. Quid huic salutari consilio, praesertim Romanorum viribus jam debilitatis, in afflicto et paene collapsio rei publicae statu inter Britones obstare potuit, nisi ea factio, quae tota ex impotenti illa et fraudulenta Romanorum dominatione pendebat? Utra autem a parte antiqui illi steterint viri, qui apud Scotos aequae ac Walenses gravissimi atque sapientissimi numerabantur, haud difficile est ad intelligendum.

Jam vero natum fuerat id malum Britanniae, quod Gildas quidem veluti sicco pede transiit, Beda vero acerbe perstringit, Usserius tot elapsis seculis etiam apud aequales suos non sine causa conqueri sibi videtur ut „sicut fatuam toties combustam, incineratam et usque ad nihilum conculcatam: late tamen et dense adhuc non desiisse germinare et sua vitulamina vitiosa quanto subtilius solito tanto periculosius propagare“ Praef. ad lect. Sed Bedam audiamus, Prosperi Aquit., Orosii, catholicae denique ecclesiae auctoritatem in ea re secutum, l. I c. 10.: „Honorii temporibus Pelagius Brito contra auxilium gratiae supernae venena sua perfidiae longe lateque dispersit, utens cooperatore Juliano de Campania. Quibus sanctus Augustinus, sicut et ceteri patres orthodoxi multis sententiarum catholicarum milibus responderunt, nec eorum tamen dementia corrigere valebant; sed, quod gravius est, correpta eorum vesania magis augescere contradicendo quam savendo veritati voluit emendari. Quod pulchre versibus heroicis Prosper rhetor insinuat, quum ait: anguiculum

„Aut hunc fruge sua aequarei pavere Britanni

Aut huic Campano gramine corda tument.“

Atque illum quidem anguiculum „fortunata“ quam Eumenius praedicaverat (id quod Bed. l. I c. 1. nescio quare de Hibernia jactat) „et omnibus beatior terris Britannia, in qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis“ — peperisse fertur. Quid quod

quit Gildas, tragice calamitatem ex transmarina, ut videtur, relatione exaggerans, „emergunt certatim — tetri Scotorum Pictorumque greges, moribus ex parte dissidentes — furciferosque magis vultus pilis, quam corporum pudenda vestibus tegentes (Bergschotten) — non cessant uncinata nudorum tela (quod Buch. interpretatur de dorydrepanis aut falcibus muralibus. Fordun.: praecordinatis machinis.) Quid plura? relictis civitatibus muroque celso iterum miserrimis civibus fugae et augebantur externae clades domesticis motibus, quod hujusmodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo, excepto venatoriae artis solatio.“ Beda: „cibi sustentaculo.“

Pelagium, patrio nomine Morgan (h. e. marigenam s. pelagicum, an Armoricanum?) hominem Bancorensem, ex famoso illo Cambrensi coenobio prodisse, Coelestium, Pelagii familiarem ac discipulum, Scoticae gentis, utrumque Christianis parentibus natum, inter omnes fere constat! Equidem horum ingenium utrum Scoticae illi virtuti, quam viri Ossianici prae se ferunt simplicem sinceram, non magis strenuam quam humanam, an Sanctorum, quales illo certe tempore Italia Galliaeque genuerunt, „virtutibus“ h. e. „miraculis ac meritis“ propius fuerit, alii videant. Nunc quum ipsorum scripta — tanto videlicet perniciosiora, quanto magis in eis „stili quidam splendor et venustas eloquii Tulliani elucebat“ (Hieron.) et „propter acrimoniam atque facundiam legebantur a plurimis“ (August.) — injuria temporum perierint, nec quidquam fere eorum ab adversariis ereptum sit praeter errores ex nimia conscientia recti humanarumque virium fiducia partos: magistros certe illorum, si tamen in Britannia fuerunt, sapientiores ac modestiores fuisse censemus. Sed quoniam de tota illa controversia non modo Roma locuta est, (quamvis initio quidem satis ambigue) verum etiam nostra ecclesia, confessione Augustana damnans Pelagianos, rem ut judicatam hoc loco, cum Gilda, transire juvat. Hoc tantum addi licebit, primum quod externa illa gratiae divinae adminicula, quibus Catholica ecclesia infectas Pelagianis opinionibus postea Britannorum mentes sanare atque adeo superstitiones vulgi tueri etiam atque etiam conata est, „virtutes“ h. e. miracula, et „merita“ Sanctorum, qui gratiam divinam vel vivi prae se ipsi ferebant, vel mortui posteris manifestam reddebant, non magis probata Luthero nostro fuerint quam nimia virtutis veluti innatae fiducia. Deinde viri Bancorenses, si qui hoc nomine insimulati, ut a Balaeo, fuerunt, nec unquam, id quod Augustinus in Pelagio desiderat, „apertam confessionem illius gratiae, quam vehementer commendat Apostolus“ denegarunt aut meritum Christi, propter quem vivimus, recusarunt, et multo etiam paratiores quam adversarii ad crucis virtutem experiendam utique fuerunt. Non enim invisi dissidii auctores sectabantur, neque tam Fausti Britanni Lirinensis in Gallia abbatis quam Johannis Cassiani Massiliensis auctoritate nitebantur, mediam hanc viam tenentes, in qua hodie omnes ubique omnium partium homines vere religiosi si non aperte at taciti conveniunt. Ab illo, qui diu in Oriente versatus duorum in Gallia coenobiorum conditor exstitit, Basili Magni regulam, Johannis Chrysostomi praecepta vitae, Gallicanam etiam liturgiam („ordinem cursus Gallorum“ Usser. p. 842.) acceperunt, „ingratorum“ nomen, quo Prosper Aquit. illius „collatoris“ discipulos quasi „gratia vacuos“ notabat, non reformidantes. In quo illis id forsitan acciderit, quod Vincentio Lirinensi, cujus ne „sancta illa universalitatis et antiquitatis consensio“ quidem „in iis quae semper, quae ubique, quae omnibus probata fuerunt“ versata calumniatoris ejusdem invidiam potuit effugere. Atvero, ut Vincentii „commonitorium“ pro catholicae fidei probatissima norma diu habita est, ita Cassiani libros de institutis coenobiorum, et collationes patrum longe lateque propagata esse constat, ut etiam sec. VII et VIII in Anglosaxonum monasteriis — salva, ut Schroedelius putat (l. c. p. 325.) unitate catholica — avidissime legerentur.

Bancorense coenobium quoddam in Britannia jam ante Congellum, qui eodem nomine et instituto post annum 530 demum in Ultonia Hiberniae dispersos monachos congregasse traditur (Usser. p. 918) et conditum et celebre fuisse negari non potest. Situm autem erat in Wallia septentrionali ad Devam fluvium, haud procul a Mona insula (Anglesey hodie) nec tamen in eo loco, ubi hodie episcopatus sedes est, sed propius urbem Cestriam (Laegeceaster Chester Devam Coloniam quae) Beda II, 2: „a gente Anglorum Legacestir, a Bri-

tonibus autem rectius Carlegion appellatur⁴⁾) subterraneis monimentis insigne, ex quibus, ait Usserius p. 134. nihil sui habet reliquum praeter duarum portarum plus quam dimidiati milliarii spatio disjunctarum nomina — medio inter utramque loco intercurrente Deva fluvio — et saxa passim quadrata. Bangor autem vocabulum, proprie „magnum circulum“ vel „pulcrum excelsumve chorum“ denotans, si recte aestimare volumus, non tam monasterium quam coenobium s. congregationem religiosorum hominum significasse dicemus. Fuit enim-vero schola s. seminarium disciplinae Christianae, unde prodibant sacerdotes ecclesiarum et Wallensium et Scotiarum, quae „ante Palladium absque Episcopis per monachos regebantur minore quidem fastu et externa pompa sed majore simplicitate et sanctimonia“ Buch. Rex. XLII ex Ford. Vivebant autem qui discendi causa concurrissent, ut discipuli, donec ipsi apud suos munera sacra obire possent, monachorum more, sine conjugibus cum propter aetatem tum propter frequentiam, inopia coacti, gravissimis rei publicae temporibus inter armorum strepitum victum sibi „manuum opera“ assiduoque labore quaerentes, atque, si tamen monastici voti cujusdam religione obstricti fuerunt, Basilii Magni id temporis cum Orientalibus regulam, quoad vitam contemplativam et castimoniam spectabat, probe tenentes. Qui vero ex his sive doctores sive sacerdotes exstiterant, non amplius caelibatus voto tenebantur; omnes autem recte, ut mihi videtur, pro Culdeis habentur, i. e. pro viris antiqua fide ac virtute praeditis, priscorum Cultorum Dei simillimi, quippe qui veterem simplicitatem retinerent, nova arcerent, opinionum commenta, quae dies tum ferre tum delere solet, rejicerent, scripturam sacram assidue explorarent. Ex eo genere plerique ecclesiae Britannicae sacerdotes fuisse videntur, ut ex magna frequentia eorum, qui Bancoriam veluti ad „collegium Christianorum philosophorum“ vel „Academiam bonarum artium et virorum literatorum“ (Usser. p. 132 — 134.) confluisse feruntur, conjici licet. Quorum Beda teste II, 2. tantus quondam fuit numerus „ut quum in septem portiones esset cum praepositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.“ Nisi vero frequentia ea vel concursus tunc fortuitus fuit. Wallensium certe sacerdotes, presbyteri, antistites, episcopi ante Augustini tempora fere omnes inde prodisse putandi sunt. Quorum episcoporum sedes quatuor longo post tempore, invicta gens et libera quum ad id tempus fuisset, Giraldus Cambrens. in Papali Registro ab Innocentio III Pont. producto ita enumeratas singulari rubrica interposita vidit: „de Wallia. In Wallia Menevensis ecclesia, Landavensis, Bangoriensis et de Sancto Assaph.“*) Atque hoc ipsum S. Assaphi nomen ac patrocinium parum frequens haud temere conquisitum existimes, si ad Psalmum 73. respicias, qui quum vatis illius esse significetur, Culdeorum quodammodo, quales cognitos habemus, sensus, mores, casus, ingenium denique verissime exprimit. Nec sane, qui in hoc carmine imaginem antiquorum illorum virorum videat, magnopere miretur, quod tanquam Pelagiani invidiam subierint. Satis erat, quod quasi „Cassiani“ ut hoc utar (ex Cicerone) „judices“ videbantur vel potius Cassiano suo duce utebantur, quem Prosper

*) unde Schroedelius (l. c. p. 177.) elicere sibi videtur, quum a Giraldo ecclesia Menevensis illo quidem tempore „nulli ecclesiae prorsus, nisi Romanae tantum et illi immediate, sicut nec ecclesia Scotica, subjectionem debens“ dicatur, nunquam Wallensem sui juris fuisse. In quo non vidit, eam ipsam rubricam, ab Anglicanis sejunctam, diversum quoddam ecclesiarum genus, nondum subactum, sed subigendum indicare, id quod Gir. ita quamvis invitus prodidit.

Aquit. maledico dente carpit, commentarium suum contra „collatorem“ sic concludens: „Igitur hujusmodi hominum pravitati non tam disputationum studio quam auctoritatum privilegio est resistendum.“ Id quum ab Imperatore Valentiniano III impetratum esset, cujus lex ad Praefectum praetorio Galliarum anno 425. data fuit ejusmodi, ut diversi episcopi nefarium Pelagiani et Coelestiani dogmatis errorem sequentes vel corrigerentur vel pellerentur: aliquot annis post Coelestinus Pontifex Romanus eodem fere tempore et Marius Mercatorem ad Theodosium II Imp. de Pelagiana haeresi comprimenda (quod Ephes. Synodo factum esse constat) misit, et Cassianum ipsum per Leonem, tum Archidiaconum Romanum, postea Papam, Magni cognomine insignitum, adegit, ut adversus Nestorium (libros suos VII de incarnatione Christi) scriberet, et simul, quasi palinodiam canens, Pelagianum virus in vicina Beligarum urbe exstingeret, et eo ipso tempore cum episcopis Galliarum consilia contulit ad expeditionem quandam sub specie unitatis catholicae in Britanniam suscipiendam. Nec mora. Nam quod ipsi in luce Galliae, in oculis clarissimae provinciae non possent efficere, id nullo negotio apud homines umbraticos aura populari captata peracturos se esse confidebant. Mttuntur igitur ad Britones Germanus et Lupus; „ad Scotos, in Christum credentes a Coelestino Papa Palladius primus mittitur episcopus.“ Bed. I, 13. ex Prosper. in Chron. ad a. 430. Dubitari vix potest, quin omnes legatorum hae missiones eodem spectarint, ut non tantum aperti errores Pelagiani, verum etiam occulta eorum semina extirparentur. Prosper contra Collatorem (Cass.) c. 4.: „Nec segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit (Coelestinus P.) quando quosdam inimicos gratiae solum suae originis (Cambriam?) occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani et ordinato Scotis episcopo dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.“ Idem in Chronico ad annum 429: „ad actionem Palladii diaconi Papa Coelestinus Germanum Autisiodorensem episcopum vice sua mittit et deturbatis haereticis Britannos ad catholicam fidem dirigit.“ Ad quod consilium perficiendum etiam in Britannia suos habebat administros ex ea factione, quae, quum ipsa se tueri non posset, tanto impensius necessitudinem cum Romanorum et imperio et ecclesia retineri cupiebat, Bancorensium liberaliorem*) doctrinam atque auctoritatem, inertiae et superstitionibus vulgi haud magnopere accommodatam, vel acriter impugnet, vel religioni habendam duceret. Illos autem hoc remedio potissimum peti, quod suis aliter ac Pontificii vellent docendi et administrandi res sacras auctores essent et magistri, nemo non videt. Quis enim imperitam multitudinem Pelagii quaestiones perplexas admodum curasse existimet? Deinde, istud si agebatur, mirum illud Gildae, acerrimi iudicis, silentium quò totam Pelagianorum causam atque hanc etiam legationem ut in historia ita in increpatione ad clerum praeteriit, aliquam certe accipit lucem. Nempe, si ipse atque adeo quum Bancorensis esset**) suos tangi videbat ideoque hoc ulcus potius non attingere quam „transmarina relatione“ uti voluit. Hanc autem Beda ex Constantii libro de vita Germani, qui huic aequalis fuit, iisdem verbis reddit, quae quidem a me non possunt nisi brevissime referri: (Bed. I, c. 17 — 21.)

„Ante paucos sane adventus eorum (Saxonum) annos haeresis Pelagiana per Agricolam illata, Severiani episcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum foeda peste commaculaverat. Verum Britanni quum neque suscipere dogma perversum, gratiam Christi blasphemando,

*) Neand. Memm. T. III ed II p. 291. „schönes Denkmal des christlichen Freiheitsgeistes in der altbritischen Kirche“ u. s. w. **) Usser. p. 472.

nullatenus vellent neque versutiam nefariae persuasionis refutare verbis certando sufficerent, inveniunt salubre consilium, ut a Gallicanis antistitibus (sic) auxilium belli „spiritualis“ inquirant. Collecta eorum magna synodo ad succurrendum fidei mittuntur Apostolici sacerdotes Germanus Altisiodorensis et Lupus Treccassenae civitatis episcopi. Iter ingressis vis daemonum concitat procellas et fluctus, quos excitatus ex sopore senior Pontifex opprimit, ut tranquillitas serena subsequatur. (cf. Ev. Matth. 8. cum Act. Ap. 27.) Fugati sinistri spiritus, dum imperio sacerdotum ab obsessis corporibus detruduntur, pericula, quae intulerant, fatebantur victosque se eorum „meritis“ non negabant. Erat illis Apostolorum instar et gloria et auctoritas per conscientiam, doctrina per literas, virtutes ex meritis. — Contra procedunt abditi sinistrae persuasionis auctores, conspicui divitiis, veste fulgentes (Culdei? an ii, in quos etiam Gildas acerbissime invehitur, provincialis ecclesiae antistites, Pontificiis ac Gallicanis haud dissimiles? — haec videlicet ambitio, qua illi ipsi aliquanto magis laborabant, notissimo isto malitiose interpretandi artificio a doctrina simplicissimorum virorum repetitur, qui cf. pag. 22. ecclesiam regebant „minore fastu et externa pompa“) circumdati assentatione multorum. Copia disputandi facta, sola nuditate verborum diu inaniter et aures occupant et tempora. Deinde Antistites venerandi torrentes eloquii sui cum apostolicis et evangelicis „imbribus“ (Constantius: tonitribus) profuderunt. Miscetur sermo proprius cum divino et assertiones „molestissimas“ (Const.: violentissimas) lectionum testimonia subsequebantur. Convincitur vanitas, perfidia confutatur ita ut ad singulas verborum objectiones errare se dum respondere nequit, fateatur; populus arbiter, qui aderat spectator et iudex, vix manus continet, iudicium tamen clamore testatur.*) Sequuntur alia veritatis testimonia, „virtutum“ i. e. portentorum larga copia: filia cujusdam tribuni (cf. Matth. c. 9.) caeca per capsulam cum sanctorum reliquiis oculis ejus applicatam lumine veritatis impleta — S. Albani reliquiae cruore servato in pulvere rubentes repertae b. Apostolorum reliquiis adaugentur — incendia domorum orando restincta. — Referrunt nequeunt, inquit Constantius, quae Christus operabatur in famulo, qui virtutes faciebat etiam infirmus, quippe languore aeger a quo per visionem curatur. Nihil autem illustrius quam clarissimus ille triumphus Allelujaticus de Saxonibus**) Pictisque reportatus: „Apostolicis ducibus Christus militabat in castris — aderant quadragesima venerabiles dies — dies resurrectionis dominicae — fides fervet in populo — pars major exercitus recens de lavacro salutari (iterato?) quod expetiverat, emensa solemnitate Paschali arma capere tentat — Tunc subito Germanus, ex insidiis progressus signifer incantato Alleluja, ter repetito a sacerdotibus sequente una omnium voce (cf. Josua 6.) hostile agmen terrore prosternit, fundit, in flumen praecipitat.“ Clarissima sane victoria „hostibus fuis sine sanguine“; at nisi plane efficta est (cf. Lappenb. I p. 60 et 70.) clarior fortasse victis quam victoribus fuit. Nam quod rei fidem facit, nec Beda hoc loco, nec Constantius attulit. „Austres Pictos inter Fortham fluvium et Grampium montem tunc habitantes a

*) Londini conventum hunc habitum fuisse affirmat Hector Boethius addens insuper Pelagianos qui respicere contumaciter sprevisent, flammis regionum (Vortigerni?) magistratum opera esse adustos. Usser. p. 328.

**) sic Constantius (non „Scotis“ ut nonnulli Bedae codd.) et recte ut videtur; nam ut jampridem, ita commodum (anno 428) Saxones maritimi praedones appulerant. Amm. Marc. In agro Flintensi, ubi situm erat Bangorensis coenobium cf. Usser. p. 133. vicisse Germanum ajunt indeque locum Haes Garmon (Campum Germani) vocatum. Uss. p. 333.

Ninia sive Niniano, Honorio et Arcadio imperantibus, fide Christiana jam imbutos fuisse, verior nos docet historia“ Usser. p. 668. Quosdā Christiani erant, exaudito sonorum ipsius cognitorum concentu potuit eos de communitate fidei monitos indigni cum barbaris initi foederis poenitere. Nyniam vero, Pictorum doctorem, reverendissimum et sanctissimum Beda (III, 4) dicit virum de natione Britonum „qui erat Romae regulariter fidem et mysteria veritatis edoctus.“ Certum autem est, eundem tota terra Pictorum per certas parochias divisa, inter Britannos suos sedem Episcopalem constituisse.*) Inde, puto, anceps Pictorum genti fides, modo a Scotis facienti, modo deficienti ad provinciales. Nec sane major Palladii, qui in Nyniae locum successit, apud Pictos auctoritas fuisse videtur, qui pulsus ab Hibernis (Jocel. in vita Patricii: Hibernico proverbio dicitur: Non Palladio, sed Patricio Dominus convertendam Hiberniam concessit Uss. p. 814.) nec diu moratus apud Scotos, ut etiam martyrium ab eis passus esse tradatur, relictis ibi aliquot principum Apostolorum reliquiis ad Pictos concessit ibique morbo correptus obiit. Nam quod Hector Boeth. ait (Scot. hist. l. 7.) Palladium primum omnium sacrum inter Scotos egisse magistratum, a summo Pontifice creatum, quum antea populi suffragiis ex monachis et Culdeis pontifices assumpti essent: id tantum valuit, ut etiam postmodum ejusmodi Culdeorum episcopi nec „canonice“ ut ajunt instituti permanserint in Scotia usque ad annum 1108, quo anno totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiae transiit in episcopatum S. Andreae. Selden p. 1130 et 1141. Porro qui factum est, ut postea Scotorum episcopi non Palladium, sed Columbam disciplinae atque ecclesiae suae auctorem praedicare possent? vid. infra.

„Composita insula, securitate multiplici superatisque hostibus“ Apostolici legati Germanus et Lupus redierunt. Beda I, 20. Post eorum discessum usque ad Germani alterum adventum ea accidisse videntur quae auctor noster ex Gilda quamvis haud optimo ordine enarrat. I 13. sqq. Nam post Palladium commemoratum ab ipso res ita deinceps enarrari oportebat: fames Britonum, quae multos coegit victas infestis praedonibus dare manus, alios vero confidentes in divinum auxilium continue rebellare; Hibernorum et Pictorum aliquamdiu quies. Cessante autem vastatione hostili „tantis abundantiarum copiis insula affluebat ut nulla habere tales retro aetas meminisset: cum quibus omnimodis et luxuria crescit. Non solum vero hoc vitium, sed et omnia, quae humanae naturae accidere solent et praecipue odium veritatis cum assertoribus, amorque mendacii cum suis fabricatoribus, susceptio mali pro bono, veneratio nequitiae pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio Satanae pro Angelo Lucis. Ungebantur reges non per Deum, sed qui ceteris crudeliores exstarent. Si quis vero eorum mitior et veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniae subversorem omnium odia telaque sine respectu contorquebantur. Sicque agebant cuncta quae saluti contraria fuerint ac si nihil mundo medicinae a vero

*) Usser. p. 665. Obit autem, si Balaeo credimus, anno 452. in sede episcopali, sepultus „Ad candidam casam“ (Beda III, 4 hodie Whit-herne) i. e. basilicam, cum adjuncta cellula (quales adhuc in Francogallia reperiuntur ex sec. IV. et V.) quam de lapide, insolito Britonibus more (Beda) per caementarios secum a. b. Martino Turonensi adductos construxerat. Ford. Scotichr. Uss. p. 662. De quo Alcuinus fratribus in loco Deo servientibus, qui dicitur Candida Casa, haec scripsit: s. pater vester Nynias Ep. multis claruit virtutibus, sicut mihi nuper delatum est per carmina metricae artis, quae nobis per fideles nostros discipulos Eboraecensis ecclesiae directa sunt. Uss. p. 669.

omnium medico largiretur. Et non solum hoc seculares viri sed et ipse grex Domini ejusque pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint. Ebrietate quamplurimi quasi vino madidi torpebant resoluti et animositatum tumore, jurgiorum contentione, invidiae capacibus unguis indiscreto boni malique judicio carpebantur.“ Tot tantaque vitia Gildas in ea ecclesia, quae modo per viros Apostolicos emendata fuit, notanda censuit; quibus hoc addit: hujusmodi facinoribus sua colla, abjecto levi jugo Christi, subdentes. Quibus verbis num Pelagianos renascentes, quos ne nominat quidem in ulla libri queruli parte, an eos Britanniae sacerdotes, quos aliis loco immundis pedibus ait Petri Apostoli sedem usurpantes — ecclesiasticos post haec gradus propensius quam regna coelorum ambientes et tyrannico ritu acceptos defendentes,“ significaverit, in medio relinquatur. Quod vero de crudelitate principum dixit, manifesto in Vortigernum cadit. Is enim, homo potens et ambitiosus, Constantem, Constantini filium v. supra p. 19. a patre monachum factum („Wintoniae, inquit Gildas“ — ut Wintoniensis ecclesiae historia tradit — ex libro ejus, suspicor, deperdito de victoria Aur. Ambr., nam in libro querulo ista de Constantino et Constante prorsus praetermisit. Uss. p. 372.) quem Britones regem sui generis crearant, post decem annos, quibus pacem cum vicinis coluit, crudelissime ex insidiis peremit, atque ita regnum per summum nefas adeptus, unus malis publicis laetus, miseria civium gravissima pestilentia laborantium nihil motus, a Pictis et Scotis ultro ad certamen provocatis agros vastari passus est. (Conf. Buch. Rex XLI.) His quum spreto cum Eugenio, Scotorum rege pacis studioso, societate, suis viribus resistere non possent, „pauperculae Britonum reliquiae Romam mittunt epistolam, cujus hoc principium est: Aëtio ter consuli (ann. 445. vel 46.) gemitus Britannorum — ita suas calamitates explicantes: Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros; inter haec oriuntur duo genera funerum: aut jugulamur aut mergimur. Neque haec tamen agentes quicquam ab illo auxilii impetrare quieverunt, utpote qui gravissimis eo tempore bellis cum Bleda et Attila regibus Hunnorum erat occupatus“ Bed. I, 12. Quantum vero apud Leonem M. tunc Pontificem profecerint, ex Valentiniani Imperatoris edicto, quod ille eo ipso anno (445) impetraverat, conjectura assequi licet. Ejus enim haec fere summa est „ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae Urbis aeternae auctoritate tentare“ (Hugo Novell. Valent. Tit. 17.) Deinde ex ejusdem Leonis ad reprimendam ubique quantum potuit renascentem Pelagianam haeresin interposita opera cf. Usser. p. 374. sqq. Hujus mandato, videlicet quod „moderator provinciae, per quem episcopi ad iudicium Romani antistitis evocati adesse cogentur“ in Britannia deesset, secundum S. Germani iter in insulam contra Pelagianos susceptum esse puto, quod non multo post priorem legationem contigisse Beda existimat, Usserius recte longius inter utramque intercessisse spatium ex tempore mortis S. Germani colligit (p. 382.) quem paullo post alterum iter obisse et Constantius et Beda et reliqui omnes consentiunt, intra annum 448. et 450. (Neand. Memm. T. III, p. 53: 448. prid. Cal. Aug.) Sed Bedam audiamus ex transmarina Constantii relatione haec quoque referentem:

„Nec multo post interposito tempore nuntiatur ex eadem insula Pelagianam perversitatem iterato paucis auctoribus dilatari. Rursumque ad beatum Germanum preces omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tutaretur. Adjuncto igitur sibi Severo, tunc Treviris ordinato Episcopo — Britannias petiit. — Occurrit inscia multitudo. Confestim benedictio et sermonis divini doctrina profunditur. Recognoscunt (sacerdotes) populum in ea quam reliquerat credulitate? durantem: intelligunt culpam esse paucorum,

inquirunt auctores inventosque condemnant: quum subito Elaphius (quidam, regionis illius primus, qui jam appellentibus sanctis in occursum properarat cum filio claudo) pedibus advolvitur sacerdotum offerens filium contracto poplite claudum. Salubrem tactum sanitas festina subsequitur. — Implentur populi stupore miraculi et in pectoribus omnium fides catholica (additum a Beda: inculcata) firmatur. Praedicatio deinde ad plebem de praevaricationis emendatione convertitur, omniumque sententia pravitatis auctores („qui erant“ Bed.) expulsi ab insula Sacerdotibus adducuntur (? sic Bed. et Const. — an addicuntur?) ad mediterranea (Gallias? Armoricam? an ad inferos?) deferendi ut et regio absolute et illi emendatione fruerentur. Quod in tantum salubriter factum est, ut illis locis „etiam-nunc“ (sic Constantius, qui aequalis fuit Germano; at Beda: multo ex eo tempore) fides intemerata perduravit.“

De S. Germani et Vortigerni tyranni congressu in Nennii Collectaneis (Usser. p. 385.) quaedam inveniuntur, ita tamen aliis de eodem rege fabulis (cf. Lappenb. I, p. 67. Sprengel. hist. Brit. magn. T. I, p. 77. 83.) repugnantia, ut in tenebris his verum dispicere non possis. Hoc tantum adparet, non de restituenda republica cum reo esse transactum, sed de incestu cum filia commisso a S. Germano et omni clero illum correptum esse. Quod haud scio an Gildas notaverit his verbis, loco, quem modo dederam pag. 25. insertis: „luxuria crescit. Crevit etenim germine praepollenti, ita ut competenter eodem tempore diceretur: Omnino talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes.“ (ep. I, ad Cor. 5, 1.) Praeterea etiam hoc manifestum est, eo ipso tempore, quo Germanus iterum adfuisse Britonibus videtur, vel statim ex ejus discessu — quod tempus intercedit inter „gemitum Britannorum“ ad Aetium perlatum (ann. 445.) et inter adventum Anglorum (ann. 446*) initum fuisse consilium illud, quod Gildas vehementissime ita deplorat: „Initur consilium quid optimum quidve saluberrimum ad repellendas tam ferales et tam crebras gentium irruptiones praedasque decerni deberet. Tum omnes consiliarii una cum superbo tyranno caecantur, adinvenientes tale praesidium immo excidium patriae, ut ferocissimi illi nefandi nominis Saxones, Deo hominibusque invisī, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur. — Quo utique nihil ei usquam perniciosius, nihil amarius factum est. O altissimam sensus caliginem, o desperabilem crudamque mentis hebetudinem! (Gild. hist. c. 22.) Beda Anglosaxo simpliciter I, 14.: Initum — irruptiones, placuitque omnibus cum suo rege Vortigerio, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent“ hoc tamen addito: „quod domini nutu dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut evidentius rerum exitus probavit.“ „Invitati (Nennius: non invitati, sed ex Germania in exsilium pulsī) tribus longis navibus advehuntur — quasi pro patria pugnaturi, re autem vera hanc expugnaturi.“ — Sequitur rei notissimae enarratio, quam ita concludit: „Siquidem, ut breviter dicam, accensus manibus paganorum ignis justas de sceleribus populi Dei (qui modo per viros Apostolicos „ita firmatus esset, ut fides catholica intemerata perduraret.“ V. supra) ultiones expetiit, non illius impar, qui quondam a Chaldaeis succensus Hierosolymorum moenia immo et aedificia cuncta consumpsit. — Ruebant aedificia publica simul et privata, passim sacerdotes inter

*) annum 449, quo Beda I, 15. et in epit. chronol. Anglos a Britonibus accersitos Britanniam adisse tradit, utique falsum esse, Lappenb. I, 74. ex ipsius auctoris locis aliis V. 23. I, 23. II. 14. demonstravit atque pro eo annum 446 ponendum esse effecit. Equidem Bedam annum advocatae gentis suae cum prima Britonum oppressione (I. 15.) confudisse suspicor.

altaria trucidabantur praesules cum populis sine ullo respectu honoris ferro pariter ac flammis absumebantur (ex Gildae l. hist. c. 24. qui consolandi causa aptissime adhibet Psalm. praeclarum 37.) Alii manus hostibus dabant, alii transmarinas regiones dolentes petebant (Armoricam s. Britanniam minorem, la Bretagne) alii perstantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus, silvis vel rupibus arduis (Walliae et Cornubiae Fordun.) suspecta semper mente agebant. At ubi hostilis exercitus, exterminatis dispersisque insulae indigenis domum reversus est — Gildas: „tempore interveniente aliquanto quum recessissent domum crudelissimi praedones“ (pulsus a Vortimero, filio Vortigerni, qui ut patriae proditor principatu dejectus fuerat. Matth. Floril. — Galfrid. ex Gildae opinor libro deperdito Usser. p. 412.) roboratae a Domino reliquiae duce Ambrosio Aureliano, viro modesto, qui solus fuit comes fidelis, fortis veraxque forte Romanae gentis, qui tantae tempestatis collisione, occisis in eadem parentibus, purpura nimirum indutis (Beda: regium nomen et insigne ferentibus“ fertur enim Constantini filius fuisse vid. supra p. 19.) superfuera, cujus nunc temporibus nostris soboles magnopere avita bonitate degeneravit — hoc ergo duce vires capessunt, victores provocantes ad proelium, quibus victoria Deo annuente ex voto cessit.“ c. 26: „Et ex eo tempore nunc cives nunc hostes vincebant, usque ad annum obsessionis Badonici montis (qui prope Sabrinum ostium habetur) novissimaeque ferme de fureferis non minima stragis.“ Beda: quando non minimis eisdem hostibus strages dabant 44 circiter anno adventum eorum in Britanniam. Sed haec postmodum.“ Ita perquam leviter Beda ac strictum maximas res a Britonibus gestas persequitur, et longius progressus hoc tandem loco se revocat ut Germani legationem illam duplicem enarraret, quam ipse „ante paucos sane (sic) adventus Anglorum annos“ susceptam fuisse videbat. Satis commode, si nulla fuit rerum sacrarum et civilium illo tempore inter se necessitudo, si casu accidit, ut eodem tempore Germanus ecclesiae, reipublicae Britonum afflictae Angli subvenire juberentur. Sed esto, ut nulla temporum ratione habita hic Constantium, illic Gildam ipsorum vestigiis sit Beda persecutus: tamen iniquissime comparatum est, quod ita famam rerum praeclare gestarum veluti oblitteravit. Etenim quam fortiter Britones illi, inertiae insimulati, non modo patriam, libertatem, possessiones, verum etiam sacra sua defenderint, quam desperata fuerit pugna contra atrocissimos hostes: vel ex eo intelligi licet, quod hi, contumacia oppressorum exacerbati, Vandalorum more, nihil ex tot Romanorum monumentis nisi fundamentorum rudera solo aequata, nihil miserae genti ex tot politioris humanitatis cultiorisque vitae praesidiis nisi incerta quaedam vestigia*), nihil Cambrensibus certe in regione omnium egentissima nisi invictae per annos 700 virtutis memoriam carminibus ac fama populari celebrandam reliquerunt.

Sequitur enim Arcturi**) aevum „cujus mirabiles actus etiam linguae personant po-

*) Lappenb. (l. l. I p. 63.) nullam unquam gentem tam cito linguam cultiorem, cui se adsuecisset, abjecisse, aut unquam ita prorsus ac celeriter religionem Christianam cum superstitione barbara commutavisse judicat, atque rei mirae causam in eo quaerit, quod Romanorum et armis et artibus ingenua gentis indoles oppressa fuerit. Quod etiamsi recte observatum esse videatur, praesertim si de diversa provincialium et Cambrensium ratione cogitemus; tamen nunquam tanta fuisset sive ruina sive defectio, nisi ad internecionem esset pugnatum.

**) Arth. Britannis Ursus; Uthr Cambrobritannis horribilis est. Usser. 446. At quis non de genuinae vocis significatione (Ἀρκτοῦρος; Arctophylax) cogitet, quum ex deperditis (Thaliesini s. Telesini Helii, qui Britannicorum vatum Coryphaei nomen est consecutus, aetate longe Nen-

pulorum“ (Sigibert. Gembl. Lapp. I p. 106.) de quo Britonum nugae hodieque delirant, dignus plane, quem non fallaces somniarent fabulae, sed veraces praedicarent historiae, quippe qui labantem patriam diu sustinuerit, infractasque civium mentes ad bellum acuerit. Guil. Malm. de gest. reg. Angl. I, 1. Atque celebre hoc nomen, ad tot populos atque secula propagatum nusquam a Gilda neque a Beda commemorari jam Galfrid. Monem. miratus est, et nos jure miraremur, nisi satis constaret, tum Gildae, quum ejus nomine jam alius liber de victoria Aurelii Ambrosii editus fuisset, libro querulo, ut ipse profitetur „non tam fortissimorum militum enuntiare trucis belli pericula statutum fuisse quam desidiosorum“ tum Bedam fuisse auctorem suae gentis sectatorem, de quibus Usserius ad annum 455. observat: „quantum Annalium illorum concinnatores gloriae suorum consuluerint argumentum illud fuerit, quod, quum inter duas celebratissimas de Saxonibus partas victorias Ambrosianam et Badonicam pluribus pugnis commissis nunc cives nunc advenas vicisse et Gildas et Beda confirment, neque Ambrosianae neque Badonicae neque ullius omnino Britannicae sed suam solum modo victoriarum memoriam posteris transmittendam illi curaverint.“ Ac mihi quidem Bedae, ut rerum Britannicarum ignaro id accidisse videtur, quod aliis quoque in Mörlini Ambrosii praestigiatoris nomine ex Magi Aureliani, opinor, corrupto accidit, ut Aurelii Ambrosii, quem nominat, et Arcturi res gestas in unum sive tempus sive hominem convenire putaret*). Arcturi, quisquis ille fuit, virtutem non inaniter jactatam vigente populorum fama ac rerum gestarum memoria grata vere proditam posteris fuisse optime demonstravit Lappenbergius (T. I, p. 104. sq.): Ac profecto non tantum in anilibus istis Romanensium monachorum fabulis, qui celebre et popolare Arcturi nomen, quod primum in Gallia Armorica decantatum, mox omnium ore ferebatur, nugis exornantes et honori sive suo sive popularium suorum velificantes cum Romanae ecclesiae superstitionibus conciliare studebant, sed etiam in verioribus illorum temporum annalibus vel rerum gestarum vel consiliorum optimorum Arcturo duce initorum tot tantaque reperiuntur vestigia, ut illum, si in fati fuisset, cum rempublicam tum ecclesiam Britonum antiquam recuperaturum in perpetuum fuisse recte possimus existimare. Nam quemadmodum ante illum, Vortigerno dejecto Vortimer filius et Aurelius Ambrosius**) ad arma socia adversus Saxones acerrimos nominis Christiani hostes ferenda antiquum cum Scotis foedus renovarant, ita Arcturi ingenium liberale et animi magnitudo effecit ut Picti relicta Saxonum amicitia foedus communiter cum Scotis et Britannis inirent. Parato a tribus regibus exercitu castrisque conjunctis constitutum ut expulsis Saxonibus Christiani ritus et pietatis cultus ab eis profanatus restitueretur***). Fuit certe vir magnus et singulari fortitudine et caritate in patriam vel

nio, Galfrido superior fuit) poetae carminibus Galice scriptis exaudierit versiculos hos, qui veluti unice ex tanta vetustate, soni integri ac genuini ad nostras accidunt aures: „Artur, magnatum princeps — sanguinis ultor Heroum, quorum auxilio Borealia juste regna stetero diu!“ Usser. p. 476.

*) Lappenb. T. I, p. 71. (Beda) „gibt nur einige Worte des Gildas über die Kämpfe des Ambrosius Aurelianus mit den Sachsen und geht sogleich zu der, durch eines jener unbegreiflichen, aber bei dem würdigen Manne nicht ganz seltenen Mißverständnisse in das Jahr 492 gesetzten Schlacht bei Bath über.“

**) unde postea invidiam subiit. Usser. p. 445. ex poeta: „Rex erat, imo pater, gesta paterna patient. Attamen tenet erroris dogmata plena dolis cet. Deinde: Justus apud proceres, sed reus ante Deum.“ At vide, ne ista potius in Arcturum dicta fuerint, equitum principem.

***) Usser. p. 1009. Joh. de Garlandia de triumphis ecclesiae: „Uter (Aurelii frater) et Arcturus fidei duo moenia sacrae exemplum dederant et speculari jubar.“ Buch. Rex XLV.: „Eboraco

dum suos a servitute liberat vel cultum Dei sincerum revocat, vel vitiatum restituit.“ Ita Buchananus de Arcturi rebus judicavit, quas plerosque partim per invidiam nimis parce, partim per invidiam nimis verbose persequi intelligebat. In sacerdotibus, quorum sive opera sive consilio patronus ille ecclesiarum usus fuisse traditur, apud Usserium invenio nominatos Itutum, secundum a rege factum, Davidem, avunculum ejus, Dubricium, Urbis Legionum archiepiscopum, qui ad pugnam Badonicam milites „benedictione hilarasse“ fertur (quem nescio quo jure Galfr. l. IX, c. 12. Apostolicae sedis legatum facit.) Quid quod Gildas etiam quidam strenuissimi regis Arcturi capellanus nuncupatur, (in magna Glastoniensis ecclesiae tabula, in qua urbe historias de regibus Britanniae scripsisse traditur a Caradoco Lancary. in vita Gild. c. 20. Usser. p. 469. Hunc tamen alium esse atque libri queruli scriptorem, statim viderimus.

De feliciore reipublicae statu, qui sive Aurelii sive Arcturi res prospere gestas secutus est, Beda, eodem Gilda duce, haec commemorat: „Interim in Britannia cessatum quidem est parumper ab externis, sed non a civilibus bellis. Manebant exterminia civitatum ab hoste dirutarum ac desertarum, pugnabant contra invicem, qui hostem evaserant cives. Attamen recenti adhuc memoria calamitatis et cladis inflictae servabant utcunque reges, sacerdotes, privati et optimates suum quisque ordinem. At illis decedentibus quum successisset aetas tempestatis illius nescia et praesentis solum serenitatis statum experta, ita cuncta veritatis ac justitiae moderamina concussa ac subversa sunt, ut nullum earum, non dicam, vestigium sed ne memoria quidem praeter in paucis et valde paucis ulla appareret. Quin inter alia inenarrabilium scelerum facta, quae historicus eorum Gildas flebili sermone describit, et hoc addebat, ut nunquam genti Saxonum sive Anglorum secum Britanniam incolenti verbum fidei praedicandum committerent.“ Iisdem fere verbis auctor, quem jam ipse nominat, superiora dederat, nisi quod haesisse aliquamdiu ait tam desperati insulae excidii, insperatique mentionem auxilii memoriae eorum, qui utriusque miraculi testes exstitissent, deinde ad suae aetatis hominum castigationem deveniens, non omnes eodem loco habet, verum, quos venerabilis mater ecclesia solos veros filios habet, eorum quamvis paucissimorum egregiam vitam omnibus admirabilem Deoque amabilem nolle se carere asseverat.

Jam operae pretium videtur, criminationes, quibus aequales suos onerat, audire. Sed antequam singula persequamur, ipsius testis nostri et fidem et aetatem excutere attinet. Ac primum quidem is ex consuetudine eorum, qui calamitates publicas quum deplorant mala omnia sceleribus, impictati eorum, quos oderunt, nihil temporibus fortunaeque vicis-

per deditionem recepto, quum ibi hiemaret extremo Decembri omnibus laetis — renata est veterum Saturnaliorum imago. Nostri Julia id festum vocant, Caesaris videlicet nomine pro Saturno substituto. Vulgo persuasum est natalem Christi iis cerimoniis coli.“ Hinc fortasse orta est fama de Arcturi mensa rotunda, quam in vallo quodam pervetusto forma rotunda posteriores agnovisse sibi sunt visi. Ferunt etiam praeter alia monumenta, quae plus sexcenta numero in Britannia illius nomine insignita exstant, tunc turrim sive castrum munitissimum in valle Glenbeg extractum fuisse, eoque subinde confugisse principes ac nemini aditum fecisse, id quod invidiae conflandae locum dedit. Quocum conferri possunt Alani Insulensis verba; „Cultum religionis pene deletum in civitatibus et vicis et oppidis reformavit, ecclesias a pagana gente destructas vel dirutas restauravit et in eis pastores et episcopos cum clericorum officii, prout locorum dignitas exigebat, devoto religionis studio ordinavit.“ Usser. p. 519.

situdinibus, quibus noxii innoxii plectuntur, attribuere solent, et ipse vehementissimo animi et verborum exaggerantium tumore ac multo magis iracundiae impetu quam veritatis studio inflammari videtur. Deinde libri queruli scriptor aetatem suam ita significavit, ut is non modo in Gildam illum, quem et Arcturi capellanum et „sapientem“ fama ferebat, sed ne in eum quidem qui librum de victoria Aurelii scripsit cadere possit. Quid enim iste addit ad locum illum (v. supra p. 28.) de anno obsessionis Badonici montis? „quique, inquit, quadragesimus quartus, ut novi, oritur (al. orditur) annus mense jam primo emenso, qui jam (al. quoniam) et meae nativitatis est.“ Quod Beda non intellexit atque ita interpretatus est, ut etiam totam temporum rationem confuderit. cf. Lappenb. I p. 104. Nam quum de adventu Anglorum computasset annos, secundum ejus rationem postrema Arcturi victoria, Badonica, in annum 493. incidere videbatur. Atqui is annus est 520. vel 516. (Annal. Cambr.) Ergo, qui 44. annis post proelium Badonicum librum querulum scripsit, sive vero sive falso nomine Gildas, non idem esse potest, qui ut scimus synodo Patricii interfuit. Quae synodus habita est anno fere 456. (Giesel. hist. eccles. T. I, p. 715.) atque adeo prius a. 448. (Usser.) certe diu ante obsessionem montis Badonici. Etenim ad canones ejus, qui adhuc exstant (cf. Jocelin. Vit. Patric.) in appendice de abstinentia ciborum, id quod Usserium praeterisse videtur, Gildas quidam haec praeter alia scripsit: „Abstinentia ciborum absque caritate inutilis est: meliores sunt ergo, qui non magno opere jejulant nec supra modum a creatura Dei se abtinent, cor intrinsecus nitidum coram Deo sollicite servantes, a quo sciunt exitum vitae, quam illi, qui carnem non edunt nec cibis secularibus delectantur neque vehiculis equisque vehuntur et pro his quasi superiores ceteris se putantes, quibus mors intrat per fenestram elevationis.“ Atque hunc equidem Gildam pro antiquo, genuino, sapientis titulo nobilitate, historico s. Albanico habeo. quem Usserius non ut Smith ad Bed. I, 22. judicat „nimia distinctione“ sed recte a Badonico distinguendum esse judicavit. cf. Usser. p. 441. Permulta posteriorum scriptorum, quin etiam Nennii fabulas, in celeberrimum Gildae nomen collata fuisse constat. Quod eo facilius fieri potuit, quo magis ea adpellatio de quovis Keilde i. e. homine Culdeo (vid. supr. p. 13.) usurpari posse videbatur. Praeterea, si recte aestumare volumus, in libro querulo neque singularem quandam „sapientiam“ neque ullam stili elegantiam cerni licet, quam tamen in historico Gilda praedicat Scotichronici scriptor: „Ambrosii laudes eximius Britonum historicus Gildas prae ceteris eorum regibus non tacuit, imo posteris eleganti stilo ejus gesta fideliter conscripta dereliquit*). Neque tamen librum querulum aut suppositum aut interpolatum immo vero genuinum Gildae cujusdam esse judico et hominis frugi et ejus aetatis, quam ipse designavit**). Taedet vero longam referre cantilenam, sive „acrem correptionem in totius Britannicae nobilitatis ordinem et plebem,“ qua primum reges et judices, deinde episcopos, totum denique sacerdotum ordinem aggreditur. Qui ea scire cupit, ipsum adeat accusatorem suorum: hoc loco satis sit affirmasse nihil in tot criminationibus inveniri, quod non ad Catholicae ecclesiae, etiam atque etiam auctoritate apostolica castigatae emendataeque,

*) Usser p. 449. **) Lapp. I. p. 135.: „Wenn sein Styl auch gar schwulstreich, seine Auffassung an Caricatur grenzt, seine historische Darstellung unbestimmt, ohne Zeitrechnung, beinahe molluskenartig erscheint, so ist er uns doch ein sehr lehrreicher Gewährsmann für eine Zeit, deren übrige Reliquien ohne ihn noch viel zweifelhafter und unbedeutlicher dastehen würden.“ Ita vir sagacissimus et incomptum atque horridulum orationis genus. et gravitatem hominis atque acrimoniam optime depinxit.

sive patronos sive antistites pertineat, nihil quod ad simplices cultores Dei vel homines Bancorenses. Ut statim in his, quibus objurgationes orditur: „Reges habet Britannia, inquit, sed tyrannos; iudices habet, sed impios — vindicantes et patrocinant, sed reos et latrones — eleemosynas largiter dantes, sed e regione immensum montem scelerum exaggerantes — innoxios humilesque despicientes cet. Deinde, ubi ad singulorum quinque regum castigationem descendit, qui simul eo tempore diversis insulae partibus praefuisse perhibentur, in singulos tot et tanta caedis, adulterii, perjurii crimina confert, quanta etiam in ipso ecclesiae catholicae sinu Gallia, Sanctorum meritis repleta, iisdem temporibus a Chlodovaeorum stirpe admissa esse non ignoramus. Porro: „Sacerdotes habet Britannia, sed insipientes, quam plurimos ministros sed impudentes; clericos, sed raptore subdolos, non commoda plebi providentes, sed proprii plenitudinem ventris quaerentes, ecclesiae domus habentes, sed turpis lucri gratia eas adeuntes — Sed forte heu! qui ambitores istos ordinant, eodem modo sacerdotio adsciti sunt. Etenim eos si in parochia resistentibus sibi et tam pretiosum quaestum denegantibus severe commessoribus, hujuscemodi margaritam invenire non possint, praemissis ante sollicitè nuntiis transnavigare maria terrasque spatiosas (Gallias? Italiam?) transmeare non tam piget quam delectat — Dein cum magno apparatu magnaue phantasia vel potius insania repedantes ad patriam — ut quondam Novatus Romae — sese patriae ingerunt, violenter manus — sacrosanctis Christi sacrificiis extensuri. Quid tu infelix popule a talibus (ep. ad Tit. I, 12.) bestiis ventris praestolaris?“ Haec ut melius perspiciantur, tenendum, quod Galfrid. l. II, c. 10. tradit et satis constat, Anglia a Saxonibus occupata et ecclesiis omnibus solo aequatis eos, qui e clero superfuerant, in Gualiam sive Cambriam diffugisse, nec minori frequentia „nobiles“ possessionibus ac patrimoniis suis expulsos, inde emigrantes huc concessisse. Qui quum, ut fere fit, homines, ut cum Tullio loquar, ὀψιμαθής, ex reipublicae temporibus nihil edocti, nihil obliti, dediscere sportellas et artolaganos suos nollent, insolentius abutentes hospitio inter eos, qui vitam in egestate degebant, in terra omnium rerum egentissima, cujus inopia vix unius reguli, non modo tot dominorum spiritus*) capere posset, jam illi, sive nobiles sive clerici „suas injurias quasi Christo irrogatas amplificantes“ Gild. in alienas possessiones irruere, victum, honores, opes ambitu quaerere, cupiditatem suam specie religionis praetexere coeperunt.**)

Quibus consiliis ac praesidiis usi, qui in Wallia tunc rerum potiti essent, incommodis ecclesiae mederi conati sint, Girald. in itiner. et in David. Menev. vit. hunc fere in modum tradit: Collectis in Ceretica regione apud Brevi (Cardigan shire) post annum 540. episcopis et abbatibus virisque religiosiis diversorum ordinum multis, nec non et laicis principibus ac populis de universa regione, quum populus haeretica pravitate „Pelagianae haeresis recidivo morbo redivivaque peste“ irrevocabiliter infectus ad fidei reduci tramitem non potuisset, tandem Paulinus episcopus, Germani discipulus, mittitur ad Davidem episcopum Menev. qui olim

*) praesertim si fortissimis patribus nati essent, qui inter proceres vel equites sive Aurelio sive Arcturo duce virtute excelluerant, quorum „nunc temporibus nostris soboles magnopere avita bonitate degeneravit“ Gild. hinc intelligitur, quare liber querulus vindices illos libertatis non modo non laudet, verum etiam de fama eorum detrudere videatur.

**) Schroedl. in l. I. p. 38. cf. p. 23. et p. 4: „Was den Glauben der Britten betrifft, so kann über dessen vollkommene Übereinstimmung mit dem Römischen Glaubensbekenntnisse nicht der geringste Zweifel obwalten. — Denn weder Gildas noch Beda begünstigen die Britten irgend einer Häresie.“

Hierosolymam profectus a Patriarcha episcopalem ordinationem acceperat, virum discretum, qui res ejusmodi nihil aut parum curaret, pariter et disertum, communiter ab omnibus ad tantum ecclesiae discrimen dirimendum expetitur; mittuntur nuncii semel et secundo, nil proficientes. Tandem Daniele et Dubritio, episcopo Landaviensi, duobus viris sanctissimis ac fidelissimis persuadentibus ad synodum accessit Davides atque injunctum praedicationis officium ita peregit ut sermone completo tota, cooperante gratia — haeresis evanuerit, discussa penitus et deleta; pater autem David communi omnium tam cleri quam populi electione pariter et acclamatione, quanquam ipse invitatus et renitens in Cambriae totius Archiepiscopum est sublimatus, Dubritio eidem honorem cedente, sede metropolitana ab Urbe Legionum Meneviam translata.“ Haec Giraldus pluribus locis (Usser. p. 81. 463. 474.) — completum ita esse affirmans illud Moerlini Ambrosii vaticinium: „Menevia Pallio Urbis Legionum induetur.“ „Processu temporis, idem pergit, et alia synodus collecta est, cui nomen „Victoriae“ (ex dissidentibus credo reportatae) in qua Breviensis Concilii Acta confirmata sunt et addita alia, quae ad commodum ecclesiae regimen videbantur necessaria. Ex his itaque duabus synodis omnem Cambriae totius ecclesiae modum et regulam — ecclesia quoque Romana, inquit Gir., auctoritatem adhibente et confirmante — susceperunt. Quarum decreta, Davidis sancta manu literis mandata — sicut et alii quamplurimi nobilis Bibliothecae thesauri egregii tam vetustate quam incuria, Piratarum quoque crebris insultibus — evanuerunt. Praedictis itaque temporibus in Cambriae finibus ecclesia Dei floruit insignis et multis de die in diem fructibus adolevit — Cunctis autem pater David tanquam in specula positus eminentissima vitae speculum erat et exemplum“ cet. Obisse Davidem inter annum 542 et 545. atque eodem tempore fidelissimum ejus amicum Danielem (v. supr. p. 30.) Bangorensis ecclesiae religiosissimum antistitem defunctum esse Britannica refert historia Usser. p. 526.

Erat Bancoria tum commune Britonum perfrugium veluti arx munitissima, quo jam pridem ex diversis terrae partibus magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrebat. Hinc frequentior facta, quam ut omnes capere posset, alia peperit in vicina Hibernia*) coenobia ut alterum Bangor illud, a Congello (v. supr. p. 21.) institutum, ut Clogher, Clonfard, alia jam medio sec. sexto exorta quorum magistri „secundum formam studiorum antiquorum docentes humaniorem etiam literaturam cum divinis studiis conjunxisse“ videntur Usser. p. 910. non illi quidem transmarinis nec importatis artibus eruditi sed genuinis domesticisque virtutibus ornati („patriotae“ Jocel. in vita Patr.). Praedicabant autem populo nondum luxuria corrupto veritatem ex scriptura divinam ipsius moribus accommodatam, non inertem nescio quam segnitiam in miraculorum (quibus ne Patricium quidem usum fuisse contendit**) Münsterus l. c.) praesidio Sanctorumque virtutibus acquiescentem, sed virtutem potius, viris dignam, ex Dei omnipotentis opificis mundi veluti norma construendam, atque per communis omnium parentis filium sanctissimum ex ejus beneficio, auxilio, exemplo, magisterio comparandam; crucem denique Christi eam, cujus praesidio suas quisque libidines coerceret atque ad majorem in dies perfectionem virtutis rationi rectique conscientiae con-

*) ubi jam olim clarissimus ille Hibernorum Apostolus S. Patricius in sede sua episcopali Armaghana ludum literarum ad popularium instructionem fundaverat.

**) longe aliter Jocelinus monachus in vita S. Patrici cui in permultis nimium credit Usserius. cf. Neandr. Memm. T. III. p. 188: „der kirchliche Freiheitsgeist, die antirömische Richtung in der irländischen Kirche“.

sentaneam adipiscendam suo Marte nec tamen sine divina gratia niteretur. Quantum praeceptis his, quae ex Culdeorum ingenio enucleanda esse duximus, apud Cambrenses suos profecerit Bancorensium solitudo nescimus: invidia certe flagrasse videntur ab iis, qui Romanae ecclesiae atque ejus, quae in provincia fuerat, instituta mordicus tenentes, ne suos quidem a saevitiis cohibere, nedum barbarorum sibi ingenia artibus suis conciliare possent. Verumtamen illi, ut in meditando semper ad Orientem respicere, ita ad agendum perpetuo in septentrionem versus alacri tendere animo ut latissimum laborum suorum campum. Nec frustra. — Nam ex Bancorensi hoc Hibernorum sive Britonum coenobio prodiit Columbas (s. Columbanus, altero Columbano, qui et ipse Bancorensis in Gallias ivit, major aetate) qui anno 565. (Bed. III, 4.) provincias septentrionalium Pictorum verbo et exemplo ad fidem Christi convertit. Erat illis temporibus apud Scotos quoque tanta ejus viri auctoritas ut nihil Reges populusve absque ejus consilio susciperent. Denique „quum satis longa oratione hortatus esset omnes ut Rex erga populum aequitate, populus erga Regem observantia uteretur, universos vehementer rogavit, ut in puro Dei cultu persisterent: ita enim fore ut utrisque omnia prospere succederent; si aliter facerent dignum male patris expectarent exitium. His ita peractis, ad suos discessit.“ (Fordun.) Acceperat autem donatione Pictorum Regis Hy insulam non magnam illam sed familiarum fere quinque, ad coenobium ibi condendum, quod multis diu Scotorum Pictorumque populis venerabile mansit, in quo et ipse requiescit — Columcelli a nonnullis (quasi cella et Columba) vocatus. Bed. V, 10. „Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum cujus juri et omnis provincia (Scotorum et Pictorum) et ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti juxta exemplum primi doctoris illius, qui non episcopus sed presbyter exstitit et monachus. De cujus vita et verbis nonnulla a discipulis ejus feruntur scripta haberi. Verum qualiscunque fuerit ipse, nos hoc de illo certum tenemus, quod reliquit successores magna continentia ac divino amore regularique institutione insignes. In tempore quidem summae festivitatis dubios circulos sequentes utpote quibus longe ultra orbem positus nemo Synodalia Paschalis observantiae decreta porrexerat, tantum ea, quae in prophetiis, evangelicis et apostolicis literis discere poterant, pietatis et castitatis*) opera diligenter observantes.“ Egregia sane laus, praesertim si reputes, qui vir fuerit, qui eam alienis hominibus impertiendam duxit, nempe qui penitus ex Pontificiis decretis suae sanctioniae hausisset disciplinam. Quo magis mirari debemus, eundem virum venerabilem quod

*) Scotorum et Britannorum sacerdotes nisi qui forte vitam monasticam in coenobiis amplexi erant, legitimo conjugio utebantur. Patricius ut ipse profitetur, patrem habuit Diaconum in Scotia filium quondam Presbyteri. cf. Giesel. hist. eccl. I p. 715. Itaque quod Gildas in sacerdotibus Britanniae invehens „religiosam forte matrem seu sorores domo pellentes et externas veluti secretiori ministerio familiares indecenter laevigantes vel potius humiliantes“ satis perplexe notat: id reapse quidem ad caelibes pertinere videtur; at quos? eosne, qui in coenobiis habitabant, an sacerdotes? Porro provincialis ecclesiae an Cambricae? At utrisque ubi „recurrat ad lectiones illas, quae ad hoc non solum excerptae sunt ut recitentur, sed etiam adstipulentur benedictioni, qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus“ (manus jurandi causa Evangelio impositae vel consecrandae? an episcoporum manibus? ordinandi ritu?) Apostoli illud inculcat: „Unius uxoris virum.“ Quod Schroedelius l. I. p. 4. 19. 234 — 236. praetermisit, atque pro eo ex Doellingero (Tom. II. p. 101.) haec affert: „Bis gegen 860 war eheliches Leben oder (sive?) Concubinat unter den englischen Geistlichen unerhört (!) jedenfalls ungewöhnlich.“ Cf. Neand. Memm. III p. 264. Not.

apud Gildam nescio quo loco reperisset, id iisdem viris vitio vertisse (I, 22.) „quod nunquam genti Saxonum sive Anglorum secum Britanniam incolenti verbum fidei praedicandum committerent.“ (quod Schroedelius p. 10. vertit „beaufträgen.“) Hac enim significatione Bancorenses tangi Bedae quidem sententia quod posthabitis Saxonibus ad septentrionem potius suos misissent praecones, inde patebit, quod mox ex testis ejusdem narratione eos ipsos viros gravissimo quasi divino supplicio plecti viderimus. Atque isto accusationis fundamento usus ita pergit: „Sed non tamen divina pietas plebem suam (i. e. Anglorum, quos Gildas quidem modo furciferos adpellaverat) quam praescivit, deseruit, quin multo digniores genti memoratae praecones veritatis, per quos crederet, destinavit.“

Sequitur res notissima „ut sanctus Papa Gregorius Augustinum cum monachis ad praedicandum genti Anglorum miserit.“ Sed antequam legationem hanc, quae primordiis ecclesiae Britannicae, vel reliquiis eorum fatalis fuit, prosperumque ejus eventum consideremus, age jam videamus, qui fuerit status, quae conditio eorum, qui in angustum insulae angulum compulsi a crudelissimis hostibus continuis bellis premerentur, quae recuperandae patriae spes vel etiam immanium adversariorum religionis Christianae humanitate superandorum? Afflictiorem fuisse Britonum conditionem, quam ut vel optimi praecones, si vellent, abjecta sive injuriarum memoria sive „domestico odio“ (Bed. I. V. extr.) sua tenuitate istorum superbiam odiumque vincere possent, nemo non intelligit. Quis eos magnopere reprehendat, quod veterem Scotorum societatem atque fidem amplexi cum fratribus Christianis consiliorum suorum rationes communicarent? praesertim quum ibi regem viderent, Columbae sui consiliis adjutum, Aidanum, gentem suam sensu vere paterno moderantem, filiumque ejus ab eodem magistro pie et honeste educatum? (Buchan. XLIX et LI.) Jam bellum grave inter Scotos et Pictos brevi, opera Columbae, cujus apud utrosque merito plurimum valebat auctoritas, extinctum, cum Malgone Britone foedus antiquum renovatum, non majore, opinor, Anglorum quam Pontificiorum invidia. Enimvero summum erat periculum, ne provincialis ecclesiae, si qua Oudoceo duce, episcopo Landavensi*) etiam tunc Pontifici Romano dicto audiens fuit, parvae istae reliquiae, in ultimum discrimen adductae, a Roma prorsus deficerent ad Scotorum Culdeos, quin etiam Angli, quandoquidem „foedum“ illud ad profligandum unum suorum, Ceaulinum, praepotentem, cum Britonibus et Scotis foedus non aspernati fuissent, pacatis tandem rebus, in illorum sese disciplinam traderent. Haec prospiciens Gregorius I. Pont. R. Magni cognomine insignis, qua erat et ingenii acie et sollicita animarum cura, jam antequam Pontifex fieret, per captivos ex Anglis de rebus certior factus (Bed. II, 1. Lappenb. I, p. 137. sqq.) ex idololatriae sive perversae fidei tenebris illorum gentem eripiendam esse statuit. Rem vulgo notam paucis absolvi licebit. Mittitur igitur Augustinus per Gallias in Britanniam. Qui quum primo ferae incredulaeque gentis saevitiam reformidans ex itinere revertisset, mox corroboratus a Pontifice interpretibus additis, cum quadraginta monachis, crucem pro vexillo ferentibus, Regem Edil-

*) dubia res; nam Oudoceus, qui tribus synodis in provincia habitis in regulos tres propter scelera ita animadvertisse traditur, ut inclinando cruces ad terram simul et patriam sine baptismo et communionem Christiana et illos ad jusjurandum „super quatuor evangelia et reliquias sanctorum“ adactos dimiserit, (Spelman concilia T. I p. 62. sq. Wilkins conc. I, 17.) post Augustini demum adventum anno 604 piscopus factus est, si Usserio credimus, qui rem ipsam praetermisit.

berthum in Cantio potentissimum adeunt. Anno 596. — Prospere omnia procedunt. Uxor regis, cui ut filiae Christiani regis Parisiorum jam pridem ex matrimonii conditione episcopo quodam fidei adiutore uti licebat, brevi marito paulisper caventi ne qua „malefica arte“ circumveniretur, persuadere, ut illis mansionem daret. *) Tum illi procedere, psallere, orare, missas facere, praedicare? „qui ne linguam quidem barbarae gentis nossent“ Bed. „Apostolicam primitivae (ut Britonum apostolis hanc jactandi materiam eriperent) ecclesiae vitam imitari, miraculorum multorum ostensione (videlicet quod illi portenta facere non possent nec velent) vera esse, quae suavissima promisissent, firmare.**) Quid multa? Regem, proceres, multitudinem permovent, ut aqua salutifera tingi se patiantur et relicto gentilitatis ritu unitati se sanctae Christi ecclesiae credendo sociari. Deinde „ecclesias fabricandi vel restaurandi, quae Romanorum antiquorum fidelium opere factae“ quondam fuerunt (artificia heu! quae ne ipsi quidem opifices tueri potuissent — exstabant vero etiam tum nonnulla Bed. I, 26.) vel occupandi licentiam accipiunt. Fanorum aedificia evertere quum Gregorius P. Regem per literas jussisset, idem tamen aliquot diebus post ad Augustinum Mellito hoc dat mandatum „quod diu secum de causa Anglorum cogitans fana idolorum destrui in eadem gente minime deberi statuerit,“ quin etiam, „quia boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua sollemnitas immutari“ (indulgeri?) ut die dedicationis vel natalitiis sanctorum martyrum quorum illic reliquiae ponantur — ad laudem Dei in esu suo animalia immolent.“ „Nam duris mentibus simul omnia abscondere impossibile esse non dubium est.“ In quo vir sagax eam regulam secutus est, quam idem alio loco (I, 27. ubi ad varias Augustini interrogationes partim ineptas partim obsceniores quas referre pudet respondit) his verbis primus ex cathedra Petri pronuntiavit: „In hoc tempore sancta ecclesia quaedam per fervorem corrigit, loquitur de conjugio cum propinquis quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat, atque ita portat et dissimulat, ut saepe malum quod adversatur portando et dissimulando compescat.“ Longe abest ut in his aliisque viri religiosi praeceptis laudandam quandam prudentiam, Augustini saltem imprudentia longe superiorem, inesse negemus, praesertim quum ministro suo etiam hoc praecipendum existimet „ut mens extra rationis regulam omnino (sic) nihil faciat“ „ex singulis (ecclesiarum diversis consuetudinibus) quae pia, quae religiosa, quae recta sint, eligat.“ Neque ea sumus aut ingrati animi aut iudicandi levitate, (quam Lappenb. I p. 140. viri magni contemptoribus objicit) ut beneficium ab illo Anglorum genti oblatum parvi ducamus. Imo vero summum, Deo ita moderante, et tunc fuisse et postea majus etiam exstitisse iudicamus. Nec tamen, quum lux verae pietatis per Christum semel toti generi hominum oborta esset, sicut ulli, ita Anglorum genti fictam simulatae religionis speciem („Maßfen und Bildwerke“ Lapp. I. I.) necessariam fuisse conce-

*) Quantopere famosae illius Brunichildis Reginae (quae gubernacula regni recepit in Galliis eodem anno, quo Greg. P. Augustinum in Britanniam misit ad ejus neptem) in eo negotio adjutus sit opera, felicemque sese rei exitum illius officiosae amicitiae acceptum referre, ipse fatetur vir sanctus — Greg. Opp. I. lib. IX Ep. 11 ad Brunichildem Reginam Giesel. I p. 681.

**) adhibitis potissimum Petri Ap. catenis vel pulvere inde limando collecto cf. Gies. I p. 691 — 93. „ferrum de catenis, quod ab omnibus peccatis solvat.“ — Sanctorum reliquiis et Missae parum tribuisse Culdeos haud immerito Ledwichius contendit. Quid quod pontifex ipse epistola ad ministrum data (Bed. I, 31.) de miraculis, quae per eum facta esse cognoverat eun-

demus, nec unquam deplorare desinemus,*) quod non Scotorum (si tamen Britones domesticum odium prohibebat) sed Romanorum praeconibus contigit, ut Anglis summum gratiae divinae beneficium impertirent. Ita enim, quam omnino hominum culpam esse arbitramur, episcopalis illa ecclesia, sub auspiciis Gregorii Magni per ejus Apostolum tot miraculis fundata, hos spiritus, hanc dominandi cupiditatem, hanc denique opinionem imbibit, qua solam se jure divino, atque perfecte constitutam et stabilitam (perfectly constituted, established church) esse jactat. Sed haec hactenus.

Redeamus ad antiquae ecclesiae Britannicae reliquias quantulaecunque tunc superstites erant. De his Augustinus a Gregorio P. R. haec habebat mandata: „Britanniarum omnes episcopos tuae fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur Bed. I, 26. cf. I, 29: Tua fraternitas non solum eos episcopos quos ordinaverit — sed etiam omnes Britanniae sacerdotes habeat Deo, Domino nostro Jesu Christo auctore, subjectos, quatenus ex lingua et vita tuae sanctitatis et recte credendi et bene vivendi normam percipiant atque officium suum fide ac moribus exsequentes cet. — Quo id animo non modo superstites catholicae in Britannia ecclesiae episcopi, sed Cambrenses, qui ad id tempus sua sequi instituta suisque magistris Bancorensibus obtemperare consueti essent, acceperint ac tulerint, Beda sic exponit: „Interea Augustinus adjutorio usus Edilberthi regis**) convocavit ad suum colloquium episcopos sive doctores maximae et proximae Britonum provinciae (Cambriae) in loco, ubi (qui) usque hodie lingua Anglorum Augustineizat id est robor Augustini in confinio Victorum et occidentalium Saxonum appellatur — Wigorniae (Usser. p. 91.) Anno 602. (Ac primum qui Anglorum Bretwaldae parebant advenisse videntur, postea Cambrenses fide data adducti.) Coepitque eis fraterna admonitione suadere ut pace catholica secum habita communem evangelizandi gentibus pro Domino laborem susciperent. Non enim paschae diem dominicum suo tempore sed a decima quarta usque ad vicesimam lunam observabant (cf. Giesel. I p. 716.). Quae computatio 84 annorum circulo continetur. Sed et alia plurima unitati ecclesiae contraria faciebant.***) Qui quum longa disputatione habita neque precibus neque hortamentis neque increpationibus Augustini ac sociorum ejus assensum praebere voluissent, sed suas potius traditiones universis, quae per orbem sibi in Christo concordent, ecclesiis praeferrent: s. pater Augustinus hunc laboriosi ac longi certaminis finem fecit ut diceret: (ut sciamus) quae sequenda traditio — adducatur aliquis aeger cet. Quod quum adversarii inviti licet concederent, allatus est quidam de genere Anglorum, oculorum luce privatus, qui quum oblatum Britonum sacerdotibus nil curationis — perciperet, tandem Augu-

dem monendum esse putavit „ne per illorum copiam periculum elationis incurreret“ — an pia fraudis invidiam? Frustra Wiseman cf. Schroedl. I. I. p. 136. utrumque ab ea suspicione purgare conatus est.

*) cf. Neandr. Memm. III p. 263. Veteres unius Dei cultores religiosiores fuisse, quam ut cum gentilibus ederent de patella daemonum satis constat.

**) qui id temporis Bretwaldae i. e. ut ego interpretor, moderatoris Britanniae devictae (Britten-voigt) atque in bellis cum Britonibus gerundis summi ducis imperium tenebat. cf. Lappenb. I. I. p. 151. Langhorn Chronic. Reg. Angl. Spreng. p. 93.

***) Centur. Magd. Cent. 6. f. 748: „postea convocata synodo Romanos ritus et consuetudines illis ecclesiis obtrusit. Romanorum caerimoniarum codices, oblationes, processiones, pompas, decimas et similia, quae hactenus Britanni ignorabant, contenti Asianis et Graecis caerimoniis.“ Quae frustra deridentur a Schroedelio p. 29.

stinus cet. ac verus summae lucis praeco ab omnibus praedicatur Aug. Tum Britones contententur quidem (?) intellexisse se veram esse viam iustitiae quam praedicaret Aug. sed non se posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus — postulant ut secundo Synodus pluribus advenientibus fieret. — Quod quum esset statutum, venerunt (ut perhibent) septem Britonum episcopi et plures viri doctissimi maxime de nobilissimo eorum monasterio quod vocatur lingua Anglorum Bancornaburg (bury) cui tempore illo Dinooth abbas praefuisse narratur; qui ad praefatum ituri concilium venerunt primo ad quendam virum sanctum ac prudentem, qui apud eos anachoriticam ducere solebat vitam consulentes an ad praedicationem Augustini suas deserere traditiones deberent? Qui respondit: Si homo Dei est — i. e. (ut sciscitantibus explicat) mitis est et humilis corde jugum Christi et ipse portans et vobis portandum offerens — id quod dignoscere ex eo poteritis, si vobis appropinquantibus assurrexerit: — ut famulum Christi obtemperanter illum audite. Sin autem vos spreverit nec coram vobis assurgere voluerit, quum sitis numero plures: et ipse spernatur a vobis. Factumque est ut venientibus illis sederet Augustinus in sella (et Romano more in sella residens iis non assurrexit. Henr. Huntind. hist. l. 3.) Quod illi videntes mox in iram conversi eumque notantes superbiae cunctis quae dicebat contradicere laborabant. Dicebat autem iis, quod in multis quidem nostrae consuetudini, imo universalis ecclesiae contraria geritis, attamen si in tribus his mihi obtemperare vultis ut pascha suo tempore celebretis*) ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem Romanae S. ecclesiae et apostolicae ecclesiae compleatis**) ut genti Anglorum una nobiscum praedicetis verbum Domini***); cetera quae agitis quamvis moribus nostris contraria, aequanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant. Conferentes adinvicem, quia si modo nobis assurgere noluit, quanto magis, si ei subdi coeperimus, jam nos pro nihilo contemnet!† Ita videlicet Beda ex more suorum interpretatur, omissis, quae aliunde cognita habemus. Exstant enim etiamnum responsa Dionothi Abbatis de lingua veterum Britonum ad verbum translata in hunc modum: †) „Notum sit et absque dubitatione vobis, quod nos

*) Quid erat, quod is, qui Anglis veluti suovetaurilia ad aedes sanctis precibus sacras (Ev. Matth. 21, 13.) celebrari jussus esset concedere, tam difficilis esset in antiquae ecclesiae consuetudine inveterata?

**) Inter orientales submergendi ritus semper permansit, in occidentali ecclesia adspargendi usus Gregorii M. demum temporibus invaluit. Sed idem varias in baptizando caerimonias primus induxit. cf. Starck Gesch. der Taufe und Taufgestalten Leipzig 1789. p. 83. Poenit. Egberti can. 111.: „Non licet nobis chrismatis aut Eucharistiae beneficium Britonibus largiri, antequam nobiscum in unitate ecclesiae se stare professi fuerint, et si quis inter eos clericus fuerit non (rite) baptizatus de novo baptizari, confirmari et ordinari debet.“ cf. Münter l. l.

**) Haud temere tertium hoc, quod majoris momenti videtur, societatem praedicandi, recusabant Britonum Sacerdotes. Quid? num nihil aliud nisi praedicare? nonne etiam, quod Pontificii legati nunquam praetermittebant, portenta facere? „virtutes“ miraculorum opera prae se ferre? †) Wilkins Conc. M. Brit. I. p. 26. Spelm. Conc. Angl. T. I. p. 103. Smith ad Bed. f. 716. Giesel. I. p. 717. Neander Memm. III p. 262. Genuinum id testimonium esse Schrödl. l. l. p. 38. negare allatisque Doellingeri argumentis haud idoneis infirmare conatus est ac frustra. Nam quod ille, ut unum afferam, tanquam gravissimum posuit, non Caerlioniensis, sed Menevensis episcopum id temporis Metropolitanum fuisse ex Girald. l. de jure et statu eccl. Menev. petivit (Usser. p. 93.); at id incertum redditur alia traditione, qua ipsius Augustini temporibus in Urbe Legionum sedem Archiepiscopatus haesisse proditum erat. Usser p. 83. Quid quod

omnes sumus et quilibet nostrum obedientes et subditi ecclesiae Dei et papae Romae, et unicuique vero Christiano et pio, ad amandum unumquemque in suo gradu, in caritate perfecta et ad juvandum unumquemque eorum verbo et facto fore filios Dei (ut fiant filii D.?) Et aliam obedientiam quam istam non scio debitam ei, quem vos nominatis esse papam; nec esse patrem patrum vindicari et postulari: et istam obedientiam nos sumus parati dare et solvere ei et cuique Christiano continuo. Praeterea nos sumus sub gubernatione episcopi Caërlionis super Osca, qui est ad supervidendum sub Deo super nobis ad faciendum nos servare viam spiritualem.“ — „Quibus, jam Beda pergit, vir Domini Augustinus fertur minitans praedixisse, quod, si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi. Et si nationi Anglorum nolissent viam vitae praedicare, per horum manus ultionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia, ut praedixerat, divino agente iudicio, patratum est. Siquidem post haec ipse (ipsa?) de quo diximus, Rex Anglorum fortissimus Edilfridus collecto grandi exercitu ad civitatem Legionum, quae a gente Anglorum Legacestir, a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur, maximam gentis perfidae (!) stragem dedit.“ Operae pretium est videre, quid de eo ante dixerit. Atque ea leguntur libro primo extremo inserta inter sedem episcopalem ab Augustino in regia civitate acceptam et inter Gregorii P. obitum I, 34.: „His temporibus Nordan Humbrorum regno praefuit rex fortissimus et gloriae cupidissimus Edilfridus, qui plus omnibus Anglorum primitibus gentem vastabat Britonum, ita ut Sauli quondam regi Israeliticae gentis comparandus videretur excepto dumtaxat hoc, quod divinae erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis vel subjugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum aut habitabiles fecit.*) Cui merito poterat illud, quod benedicens filium Patriarcha in persona Saulis dicebat, aptari: Benjamin lupus rapax, mane comedet praedam et vespere dividet spolia. (Gen. 49, 27.)**) Unde motus ejus profectibus Edan (Aidanus) rex Scottorum, qui Britanniam inhabitant (Albiensium Uss. ad ann. 606.) venit contra eum cum immenso ac forti exercitu, sed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo, qui dicitur Degsasten, id est, degsa lapis, omnis pene ejus est caesus exercitus. In qua etiam pugna Theodbaldus frater Edilfridi cum omni illo quem ipse ducebat exercitu peremptus est. Quod videlicet bellum Edilfridus anno ab inc. D. 603, regni autem sui, quod 24 annis tenuit, anno 11. perfecit. Porro anno Phocatis, qui tum regni Romani apicem tenebat, primo. Neque ex eo tempore quisquam regum Scottorum in Britanniam ad-

etiam Landavenses hunc sibi honorem assumpserunt, Oudoceum v. supr. p. 35. tertium suum archiepiscopum numerantes Usser p. 85. Loquuntur denique viri Bancorenses, qui utrum Menevensi Landavensi Archiepiscopo, si horum unus forte cum curia Romana conspirabat, an constitutae antiquitus auctoritati parere maluerint, dubitari potest.

*) Bretwaldae, qui „omnia jura regni Anglorum, reges scilicet et proceres et tribunos in ditioe sua tenebat“ (Henr. Hunt. l. II p. 313.) imperium tamen non Edilfridus habebat, sed Edilberthus, ut Beda testatur II, 5. „Primus imperium hujusmodi Elli — secundus Ceulin (Ceaulin v. supr. pag. 35.) tertius Edilberthus, quartus Redualt, qui etiam vivente Edilbertho eidem suae genti ducatum praebebat, obtinuit. cf. Lappenb. I. p. 129.

**) Quid ita? num forte quod insciens sacerdotis effata patrarit? an quod sacerdotes Dei trucidari jusserit? ex I. Sam. I, 22? an I, 11, 11? an denique sententia est: Quicquid direptor iste ante lucem ipsi ortam de Britonum bonis praedatus fuerit, inde posthac commoda omnia in gentem Dei ejusque ecclesiam redundabunt? Sic fere Beda interpretatus esse videtur, quae in suae gentis annalibus fortasse apertius explicata reperiebat.

versus gentem Anglorum usque ad hanc diem in proelium venire audebat.“ (libri primi finis.) Hic jam Beda rerum contextum nescio quo consilio interrumpit, et statim libro primo finito obitum et laudes Gregorii Papae „historiae suae ecclesiae inserere optimum duxit.“ Quodsi id temporis ratione ductus fecit, quando quidem illum secundo Phocatis anno i. e. 604. s. 605. ex hac vita migrasse tradidit: quare nunc demum de conventu Wigorniae anno 602. duobus igitur s. tribus annis ante, quin etiam anno ante „perfectum“ ab Edilfrido bellum habito referre incipit? Frustra quaerimus causam; nam hoc ab intento ab Augustino supplicio separari non debere Scotorum annales aperiunt. Buchan. R. XLIX: Anno fere post (magnam Scotorum et Britonum sociis armis ex Saxonibus reportatam, a Columba renunciata) victoriam undecimo Saxonibus et Pictis vicinos agros infestantibus dies dicta est, qua die Britones et Scoti conjunctis viribus Saxones invaderent. Ad diem et locum destinatum Aidanus, quamvis natu grandior quum venisset, tum Britones frustra expectat — Edilfridus opportunitatem rei bene gerendae nactus Scotos palabundos assecutus magnam eorum caedem fecit. Aidanus compluribus suorum caesis fugit nec Saxones tamen incruentam retulere victoriam, amisso Edilfridi fratre Theobaldo et aliquot, quae eum sequebantur cohortibus paene ad interuicium caesis.“ Unde intelligimus ad id ipsum bellum, quod anno post conventum Wigornense fuit, Britones Scotis foedere junctos fuisse. Quid? invitone (si non jubente) Edilbertho Bretwalda Edilfridum egisse? Sed esto. Quid postea? Jam redeundum erit ad Bedam II, 2.: post haec (igitur) ipse — Edilfridus collecto grandi exercitu ad civitatem Legionum — Legacestir — Carlegion — maximam gentis perfidae stragem dedit. Quumque bellum acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, seorsum in tutiore loco consistere: sciscitabatur, qui essent ii, quidve acturi illo convenissent. Erant autem plurimi eorum de monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, ut quum in septem portiones esset cum praepositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore*) manuum suarum vivere solebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto jejunio triduo, cum aliis orandi causa convenerunt, habentes defensorem nomine Brocmalium,**) qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum causam adventus quum intellexisset rex Edilfridus ait: Ergo si adversum nos ad Deum suum clamant, profecto et ipsi, quamvis arma non ferant, contra nos pugnant, qui adversis nos imprecationibus persequuntur. Itaque in hos primum arma verti jubet et sic ceteras nefandae (!) militiae copias non sine magno exercitus sui damno delevit. Exinctos in ea pugna ferunt de his qui ad orandum venerunt viros circiter mille ducentos et solum quinquaginta fuga esse lapsos (elapsos.) Brocmalium ad primum hostium adventum cum suis terga vertens (?) eos, quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum est praesagium sancti Pontificis Augustini quamvis ipso jam multo ante tempore ad coelestia regna sublato, ut etiam temporalis interitus ultionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuae salutis consilia spreverant!!“

Ecce tragoediam, altero Gilda dignam! Qui si istam vidisset longe aliam, opinor, occiperet cantilenam! Quae quasi furiarum dapes! quam atrox spectaculum non modo Christi-

*) Virg. Georg. IV, 165 — 69. 242 — 47. „ignavum, fucos, pecus a praesepibus arcent.“

) Brocmal, rex Poviaiae in septentrionali Walliae parte, Taliesini v. supr. p. 28.*) poetae carminibus celebratus.

anis hominibus, sed barbaris luctuosum! In annalibus res indigna simpliciter adnotata hac voce: caedes Sanctorum! Nec vero omnia vir venerabilis retulit: nam et Cestriam, Legionum civitatem „quae ad id temporis a Britannis possessa contumacis in regem populi alebat superbiam“ et Bancornaburgum „monachorum famosum receptaculum“ vel potius „Academiam“ (Caj. de antiq. Cant. Uss. p. 133.) idem rex eodem tempore funditus delevit, id quod tot semiruti parietes ecclesiarum, tot anfractus porticum, tanta turba ruderum, quanta vix alibi cernas, testantur. Guil. Malm. de Reg. gest. l. I. c. 3. cf. Lappenb. I, 144. Quas calamitates animo praesagisse videtur Aidanus. Fordunus in Scotichron.: post bellum Degsastan continue moerens tantis se ipsum afflixit doloribus ut anno secundo post fugam grandaevis annorum octoginta pene metas attingens obierit. Buchananus: ad hanc cladem accedente morte hominis sanctissimi et sibi unice cari, Columbae, quum prospiceret, quantae hostium crudelitati reliquiae Christianorum essent expositae, aetate pariter et moerore confectus non diu supervixit. Regnavit annos 34. decessit anno partae Salutis 604. Eo regnante (addit Buch.) venit in Britanniam a Gregorio Romano Pontifice missus Augustinus quidam monachus, qui sua ambitione, dum novam religionem docet, veterem vehementer turbavit: nam non tam Christianam disciplinam quam caerimonias Romanas docebat. Superiores enim Britanni Christianismum ex Joannis Evangelistae discipulis edocti a monachis, quos aetas illa adhuc eruditos et pios habebat, instituebantur. Ille dum ad unius Episcopi Romani dominatum omnia revocat, ac se unum totius Britanniae Episcopum edit et disputationem de die celebrandi Pascha nec necessariam nec utilem introducit, magnopere turbavit ecclesias, ac disciplinam jam in superstitionem prolabentem ita caerimoniis novis fictisque miraculis oppressit ut sinceræ pietatis vix relinqueret vestigium. Hanc sententiam si vir acutus ex Scotorum annalibus eruere potuit, mirum videri non potest, quod Augustini quasdam ad opprimendos suos fuisse partes Britones postea sunt conquesti. De Edilberthi saltem ad eam rem praestita opera Gervasius Tilb. Arelatensis, scriptor haud spernendus (cf. Lappenb. I, 105.) in commentatione ad Otton. IV. Imp. ed. Maderi p. 39. sqq. haec fere retulit: Augustinus quum frustra contendisset ut Britones et suae et Anglorum ditioni subjiceret, Edilberthum, juncto ad id foedere cum Edilfrido, Rege Nordhumbrorum, caede ac sanguine eos persecutum esse, ut et Dincot (sic) et alii permulti, qui manus dare nolissent, perierint.

Quando id acciderit, omnium difficillima est quaestio, maxime quod Beda completum esse tunc praesagium Augustini quamvis ipso jam multo ante tempore ad coelestia regna sublato (v. supr. p. 40.) asseverat. Numquid in annalibus suorum, quos sequebatur, hanc temporum notationem repererat? Non videtur. Nam continuo ita pergit: „Anno d. inc. 604. Augustinus ordinavit duos episcopos cet. (II, 3.) Tum demum obitum Augustini commemorat, cujus diem quidem („defunctus est VII. Kal. Jun. eodem Rege regnante Edilbertho is autem usque ad annum 613. vixit (Bed. II, 5.) vel secundum epit. chronol. 616. quo anno Edilfridus decessisse memoratur) annum non dedit, unde variae de eo sunt doctorum hominum opiniones. Nihil Usserius. Laurentius quo anno successerit Augustino: eodem Beda silentio praeterit. Fuit is tamen Archiepiscopus jam ante annum octavum imperii Phocatis, ergo 610. Octavo demum post Augustini mortem completum illius esse vaticinium Schroedelius l. I. p. 34. affirmat i. e. 612. siquidem Augustinum anno 604. defunctum esse sumit. Unde istum habet annum? Florent. Wigorn. stragem Britonum ad annum 603. quo Aidanus devictus est! Chron. Sax. 607. annales Cambr. 613. Atqui iidem

pugnae Badonicae annum qui ex Bedae computatione est annus 493. multo inferiorem notarunt. Cf. Lappenb. (I, 104.) qui eadem diligentia, qua in Anglorum rebus gestis rationem temporum exploravit, hunc quoque locum vellem attigisset. Sigibertus, qui Augustinianae Synodo Scotos interfuisse tradiderat, regem Scotorum Aean secundum vaticinium Augustini ait ab Edilfrido extinctum, in monachos quoque Scotorum Augustino rebelles ira Dei saeviente, qui cum Rege suo ad hoc bellum ex more euntes, ut Rege armis pugnante ipsi orando pro eo pugnarent, perempti sint ab Anglis, Usser. ad annum 603. Annales denique Ultonienses, eandem cum Cambrensibus, ut videtur, computationem observantes simpliciter hoc adnotant: Bellum Cair-legion, ubi Sancti occisi sunt*) idque ad annum 613. In quo jam nunc persistemus, ne Bedae fidem temere in dubium vocare videamur.

Nihil enimvero refert, utrum vivo Augustino vel etiam Gregorio, an demum post utriusque obitum Sancti sint occisi: hoc utique constat, eadem tempestate, qua Anglicanae ecclesiae per ministros Pontificios jacta sunt fundamenta, Britonum priscorum sacra vel primordia ecclesiae gravissima calamitate afflicta ac prope deleta esse. Nam et Laurentius, qui Augustino successit, tam diligenter hunc ipsius vestigiis insecutus est, ut alter Augustinus videretur. Bed. II, 4.: „Laur. Archiep. gradu potitus strenuissime fundamenta ecclesiae, quae nobiliter jacta vidit, augmentare atque ad perfectum (perfectly) debiti culminis — provehere curavit“. [Nam imperium — quod Sallustii dictum Schroedelius I. I. p. 46. nescio qua mente ad hunc locum adhibet — facile his artibus retinetur, quibus initio partum est] „Denique non solum novae, quae de Anglis erat collecta, ecclesiae curam gerebat, sed et veterum Britanniae incolarum, nec non et Scottorum, qui Hyberniam insulam Britanniae proximam incolunt. Siquidem ubi eorum vitam ac professionem minus ecclesiasticam in multis esse cognovit, maxime quod paschae solemnitatem non suo tempore celebrarent — scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam obsecrans eos et contestans, unitatem pacis et catholicae observationis cum ea, quae toto orbe diffusa est, Christi ecclesia tenere. In qua epistola ad episcopos vel abbates per universam Scotiam data Laurentius, Mellitus et Justus episcopi declarant cognitis Britonibus Scottos se meliores putasse, Scottos vero per Dagamum episcopum et Columbanum abbatem (vid. infra) in Galliis, nihil discrepare a Britonibus in eorum conversatione didicisse. Misit idem Laurentius cum coepiscopis suis etiam Britonum sacerdotibus literas suo gradui condignas, quibus eas in unitate catholica confirmare satagit. Sed quantum haec agendo profecerit adhuc praesentia tempora declarant (Bed.). His temporibus venit Mellitus Landoniae episcopus (carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior Bed. II, 7.) Romam de necessariis**) Anglorum causis cum apostolico Papa Bonifacio tractaturus, ibique synodo episcoporum Italiae interfuit anno 610, ac Britanniam rediens secum Anglorum ecclesiae mandata cum

*) Addi licebit ex „Catalogo Sanctorum Hiberniae, quem secundum diversa tempora exhibitum“ apud Usserium legimus, quae hoc loco non aliena videntur: Primus ordo Catholicorum Sanctorum, tempore Patricii, sicut sol ardescit, secundus sanctior ut luna — pauci Episcopi, multi Presbyteri, in quibus nominantur Comgallus, Columba, Cormacus cet.; tertius sanctus sicut stellae — Presbyteri sancti cet.

**) Schrödl. p. 51. „Was das für Angetegenheiten gewesen seien, hat Beda nicht näher bestimmt; statt uns daher in leeren Vermuthungen zu ergehen, folgen wir dem Heiligen in die Hauptstadt der Christenheit... Wie lange sich Mellitus zu Rom aufgehalten habe, ist ungewiß... Ueber die fernere Wirksamkeit der Missionare bis zum Tode Ethelberts hat die Geschichte einen Scheiter geworfen.“

epistolis ad Laurentium et Edilberthum detulit. Quod si anno 612, ut Schroedelius dicit, Augustini praesagium completum est, non abest suspicio quin literae ad Edilberthum datae eo spectarint. Qui quum non modo „potentissimus“ ex septem regibus sed Bretwaldae cum imperio esset, facile Edilfrido Britones tunc aggrediendi auctor fieri potuit. Nisi vero ipse, quod Gervasius tradit, illi ad compellendos profligandosque Britones opem tulisse putandus est. Cujus rei aliquod vestigium reperire possis in diversitate nominis, qua Beda locum, ubi pugnatum est, significavit. Nam in contextu legitur: in loco celeberrimo, qui dicitur Degaasten, id est, degsa lapis; at in epitome chronol. ad annum 603.: pugnatum est Addeglastane. Quod si quis, ut ego quondam suspicatus sum, mendose scriptum existimet pro: ad Degaasten; altera in contextu lectio repugnat, quae est Deglastan, unde Gibson suspicatus est eum locum significari, qui hodie vocatur Dalston prope Carlisle (Lapp. I, p. 144.) Atqui si de alio loco licet cogitare, quis non potius ad Glasten s. Glastoniam quoque pugnatum eodem tempore fuisse existimet? Usser, p. 459. „Glastonia id est urbs vitrea, quae nomen sumpsit a vitro et urbis (bury) nomine primitus in Britannico sermone.“ Avalloniae insulae, ubi sita erat, nomen ex Graeco *ύαλος*, lapis vitreus — glasten. Hunc locum si epit. chronol. significat: eodem anno 603. diversis locis pugnatum esse verisimile est, non modo in Scotia, sed etiam in Wallia australi; unde causam intelligas, quare Britones „ad diem et locum destinatum“ Ford. Scotich. v. supr. pag. 40. Aidano praesto non fuerint, impediti quippe ab alio hoste; a quo? nisi ab Edilbertho, potentissimo Bretwalda, qui „proximus“ erat regione. Hinc alia quoque diversitas explicari poterit, qua Beda pugnandi locum significandum iudicavit „ad civitatem Legionum, quae a gente Anglorum Legacestir a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur“ i. e. Caerlion super Ocam prope Glastoniam. Hoc loco primum fusi Britones ad septentrionalem partem, ubi Cestria et Bancoria est, confugisse videbuntur, instar ferarum vel ovium exagitati atque in unum locum compulsi, — Edilfrido dilaniandi, V. supra.: Benjamin lupus rapax mane comedit praedam, et vespere dividet spolia. Haec omnia inter se comparanti haud invidiose interpretari videbitur, qui istud: „multo ante tempore“ jam Augustinus decessit, virum venerabilem ultro adiecisse existimaverit sive naturali quadam animi bonitate, sive ex religiosorum hominum consuetudine, qui, ne quam sacrosancta religionis causa maculam suscipiat, quamcunque offensionem obliterare malunt. —

De Bonifacio Beda loco supr. cit 106. haec addit: „Hic est Bonifacius quartus, qui impetravit a Phocate principe (interfectore Mauritii cf. Gregorii M. epistolam ad illum de ea re gratulatoriam lib. XIII ep. 31. cf. Giesel. I p. 679.) donari ecclesiae Christi templum Romae quod Pantheon vocabatur ab antiquis, quasi simulacrum esset omnium Deorum.“ Sed ne calumniandi materiam haberent antiqui Britones, adjecit hoc: „in quo, ipse eliminata omni spurcicia fecit ecclesiam sanctae Dei genitricis atque omnium martyrum Christi ut exclusa multitudo daemonum, multitudo sanctorum memoriam haberet.“

Tanta calamitate accepta, quis Britonibus magnopere succenseat, quod indigna passi, quum suos tam misere pessumdatos, quum pietatis suae, doctrinae, bonarum artium et literarum munitissimam arcem, tot discipulorum undique convenientium gregibus frequentatam, jam funditus everti ac deleri vidissent, hujus quoque noxae Pontificum Romanorum similitates partim apertas partim obscuras insimularint, quin etiam cum aliis Gregorii Magni obtreptatoribus,*) „vitae sanctissimae splendorem“ maculis adperserint, ac si, liberaliorum

*) Giesel. I p. 657. Joannes Sarisburiensis: Doctor sanctus ille Gregorius — non modo Mathesin

artium atque doctrinarum odio invidiaque incensus clarissimum Britanniae totius ac gentium lumen extinctum voluisset! Quod etiamsi hodie aliter dijudicemus: frustra tamen Braunius l. l. p. 5. eos refellere conatur, qui „de fatiis, de persecutionibus, quas perpessi sint Culdei, quibusque ad extremum succubuerint, multa (ut ait) enarrant. Nam si misera gens, barbaris ad diripiendum a fratribus Christianis permessa, nihil aliud, non imperia, non contumelias, non judicia iniqua, si nihil conqueri posset nisi clarissimi seminarii ecclesiae suae excidium, satis hoc fuit ad memoriam acceptae injuriae ad posteros propagandam nec ulla temporum oblivione delendam. Quis non pio in Deum animo discipulis suis cum Trozen-dorfio hac prece praeire volet: „Conserva et defende scholas, propagatrices et conserva-trices verae doctrinae et seminaria ecclesiae et reipublicae Christianae!“

Bancorensium coenobio foede deleta, multi simul codices perisse videntur. Satis no-tum est, rarissimos quosdam, qui nuper detecti sunt, ex Bibliotheca Bobiensis monasterii esse, quod Columbanus vir Bancorensis condiderat. cf. Amad. Peyron de Bibliotheca Bo-biensi comm. ad Ciceronis Orationum fragmenta inedita Stuttg. et Tubing. 1824. 4. Huc pertinent etiam hymni illi ex Antiphonario Bangori coenobii (cf. Muratori anecdota T. IV.) Coelii denique Sedulii poetae, presbyteri Scoti, qui supersunt, Germanice jam olim redditi. Cf. Rambach. Antholog. Christ. I, 85. 110. Columbanus autem ille non Pictorum Apostolus, sed alter est, paulo inferior aetate, Luxoviensis et Bobiensis monast. conditor, et ipse Bancorensis, Congelli discipulus. Cujus severa disciplina (cf. „Instructiones“ ejus de assi-duo labore, silentio, obedientia, abbati tanquam parenti praestanda Neand. Memm. T. III p. 200. sq.) ac strenui mores quum Brunechildi reginae displicerent, anno 610. Galliis expul-sus in Helvetiam, tum relicto ibi Gallo Hiberno discipulo in Italiam concessit. Atque is ut ad Greg. M. de paschae celebratione, quam cum suis ex Hibernorum more observa-bat, satis libere ac graviter scripserat, ita in Bonifacium IV anno 613. multo audacius in-vehens ingenue profitetur: Nos ultimi habitatores mundi, nihil extra evangelicam et apo-stolicam doctrinam recipientes. Giesel. I p. 719.

Forsitan quaeras, benevole lector, num qui ex tanta clade superstites fuerint antiquae ecclesiae Britannicae propugnatores, num qua progenies, quid denique de illis factum sit, qui dicuntur Culdei? Non habeo de singulis, quod respondeam, certe non idem. Pauci in Wallia, pauciores in Anglia permanserunt, complures in Hiberniam, et Scotiam, nonnulli in Hy insulam confugerunt. Atque Wallenses quidem una cum popularibus eorumque va-tibus, qui regulorum liberalitate sustentati majorum res gestas laudesque lyra canebant (Pencords) per quingentos annos ut Anglorum armis ita Pontificiorum conatibus libera ad-hibita contumacia obstiterunt, quanquam iidem sensim ut principum vitiis, ita potissimum transmarinis superstitionibus opinionumque pravitate infecti. Qui in Hiberniam concesserant, tanta protinus existimatione doctrinae fuerunt, ut „multi nobilium simul et mediocrium de gente Anglorum vel divinae lectionis vel continentioris vitae gratia illo secederent, li-bentissime quidem suscepti, per cellas magistrorum lectioni operam dantes, victu quotidiano sine pretio, libris quoque ad legendum, et magisterio gratuito eis praebito.“ Bed. III, 27. inde postea Germaniae nostrae Apostolos et clarissimos Francorum doctores pro-

jussit ab aula sed, ut traditur a majoribus, incendio dedit probatae lectionis scripta, Pa-latinus quaecunque recepit Apollo. Platina: ne peregrini monumenta veterum cum admira-tione inspicerent illius mandato veterum aedificia esse dirupta negat.

disse notissimum est. Hienses vero monachos Beda ubique tantopere laudat, ut, prope oblitus, Anglum se esse, eorum „pietatem, mansuetudinem, studium pacis et caritatis, continentiae et humilitatis, animum irae et avaritiae victorem, superbiae simul et vanae gloriae contemptorem, industriam faciendi simul et docendi mandata coelestia, solertiam lectionis et vigiliarum, auctoritatem sacerdote dignam redarguendi superbos ac potentes pariter et infirmos consolandi ac pauperes recreandi et defendendi clementiam“ vel Pontificiis magistris gentis suae anteferre videatur. Nihil in eis desiderat, nisi quod pascha non suo tempore celebrabant. Observandum etiam, quod, quamvis multus sit tum in laudandis illis, tum in miraculis de alio hominum genere praedicandis, tamen portenta a Columbae discipulis facta nulla commemorat, praeterquam ab eis, qui, minus illi quidem collaudati, ad eam artem a Pontificiis ediscendam descendissent, ut Furseus. (Bed. III, 19.) Aidanus vero, Finanus, Colmanus, deinceps in Nordhumbriam accessiti, simplicissimi viri, veritatis amici minimeque fallaces fuerunt. Nihil praeclarius quam vita Aidani (a Beda Venerabili descripta III, 3. sqq. 17. quae miraculosa de eodem c. 15. 16. enarrantur ita dissona a prioribus, ut ex alio fonte fluxisse videantur) „cui Oswaldus Rex Angl. Nordanhumbr. Edilfridi filius minor natu, locum sedis episcopalis in insula Lindiffarnensi tribuit (qui videlicet locus accedente ac recedente rheumate bis quotidie instar insulae maris circumluitur undis bis renudato litore contiguus terrae redditur.“ Bed. III, 3.) „quam sanctissimus Aidanus appetitor silentii spreta illa Eboracensis frequentiae pompa elegit.“ Wilh. Malmesb. de Pont. I. II, fol. 275. apud Savil. „Construebantur (tunc) ecclesiae, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes — imbuebantur a praeceptoribus Scottis parvuli cet. III, 3. Dissonantia paschalis observantiae vivente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur. At post Finanum, qui illi successerat, defunctum, quum Colmanus in episcopatu succederet, gravior de ea re et de aliis ecclesiasticae vitae disciplinis controversia illata est a Wilfrido, qui Romam propter doctrinam ecclesiasticam adierat. Ea lis quomodo Synodo Pharensi (anno 644.), frustra Colmano ad b. Evang. Johannem, ad patrem Columbam provocante, abdicata minus perfecta („less perfectly“) institutione, a Rege sit dijudicata, qui scire voluerit, Bedam, si lubet, adeat III, 25. vel Giesel. hist. eccl. I p. 751. Colmanus videns spre tam suam doctrinam sectamque esse despectam assumptis his, qui se sequi voluerunt — Scotiam regressus est. Quantae autem parsimoniae et continentiae fuerit testabatur etiam inopia pecuniarum. Si quid enim pecuniae a divitibus accipiebant, mox pauperibus dabant. Tota enim tunc fuit sollicitudo doctoribus illis Deo serviendi cet. ut ne territoria ac possessiones quidem ad construenda monasteria nisi a potestatibus seculi coacti acciperent!“ Bed. III, 26. Culdeorum igitur beneficio potissimum factum esse censeo (Lapp. I, 154.) ut Anglorum ecclesia, ab Augustino fundata, non illico corrueret. Siquidem ne ipsius successores quidem eandem „propter apostasiam Regum Anglorum, qui fidei sacramentis se exue rant“ Bed. III, 1. tueri poterant, sed loco cedere coacti, aegre recipiebantur. II, 5. 6. 20. Invidia enim populi flagrabat: quum interea Hienses gratia hominum alienigenarum florebant. Quod Vitalianum Pontificem (anno 668.) permovisse videtur, ut „Theodorum Tarsensem virum et saecularis et divinae literaturae Graece et Latine instructum in Britanniam mitteret, addito tamen ei cooperatore, ne quid ille contrarium veritati fidei Graecorum more introduceret“ Bed. IV, 1. Tunc (quod illi enixius fecerant) „metricae artis, astronomicae et arithmeticae ecclesiasticae disciplina inter sacrorum apicum volumina auditoribus contradebatur. IV, 2. Nec sine Pontificiorum, ut Wilfridi, invidia. — De reliquis Cul-

deis, qui inter Anglos degebant ex eadem invidia laborantes, nihil divulgatum, nisi quae Braunius in commentatione, quam saepius laudavi, studiosè conquisivit. Qui patriam deserere nollent, ne causae communi salutique suorum deessent, paulatim temporibus cedere, ad arbitrium dominorum se accommodare, jam inferioribus sacerdotii ordinibus, ut capellano-
 norum, qui dicuntur, vel diaconorum*) contenti, ac ne infima quidem aedituorum vel sa-
 cristanorum sive officia sive servitia spernentes nihil in speciem diversi a Pontificiorum
 ministris, attamen cum fratribus Scotis intimo conspirationis vinculo colligati.***) Ita per
 aliquot secula inter Anglos saltem latuisse videntur, ut etiam Bedae sagacitatem, sedulam
 illam atque umbratilem celari possent. Porro, qui sanctioris vitae speciem amplexabantur,
 in monasteriis perfrugium quaerebant, antiquorum Culdeorum, ubi licebat, disciplinam imi-
 tantes, memoriam saltem religiose, quamvis tacite recolentes. Id vel ipsum Culdeorum
 nomen retentum demonstrat. Horum antiquioribus satis dissimile genus si pernoscere velis,
 Braunium l. l. consulere licet. Parvi refert, Pontificiorum doctrinae adversari sint an ad-
 stipulati (quod alterum Braunius evincere studet) utrum Cassiani, Columbae an Benedicti
 Cassinensis***) regulam amplexi, candida (id quod animi candor, majoribus proprius, sua-
 debat) an nigra cuculla incesserint. Usser. p. 1050. Emersisse demum post annum 909.
 Colideos in Northumbria saltem, ab Athelstano Rege, ex quo ille Scotiae regno potitus
 erat, largitionibus donatos v. supr. p. 12 facile potest concedi. Sed habeo etiam dicere (id
 quod pauci sciunt) quem ad modum generosissimo hoc patrono vel ejus fratre Eduino sive
 iidem viri sive eorum familiares salva antiquae fidei suae virtute atque adeo quasi redi-
 viva ac praeclarissime enitente ecclesiam patriam, arrogantiae episcoporum permissam, vel
 maxime adjuverint. Nam optimae atque praeter ceteras ingenuae arti operam dantes jam
 alium sibi et doctrinae et virtutis suae campum elegerant, architectorum clandestino sive
 sodalitia sive involucre tecti.†) Id si vitium fuit, culpa eorum est, qui, ut Apostoli utar dicto,
 cursum veritatis per injustitiam impediabant. Recte quaeri licet, per quos artifices jam
 Augustini tempore ab Edilbertho Rege aedes illae sacrae b. Andreae Dorovernensis (Rot-
 schester Bed. II. c. 3.) S. Pauli Londoniensis, S. Petri Westmonasteriensis sint exstructae?
 Numne per eos monachos, quos Augustinus secum adduxerat? an Anglorum opera, qui
 aedificandi ne aliud quidem vocabulum haberent nisi „getimbrian“ cf. Lappenb. I p. 170.)?

*) quorum specimen quoddam, si placet, in Vicario Wakefieldensi contueare licet nostris tem-
 poribus propius accedens.

**) praecipue cum fratribus ejus civitatis, cui a S. Andrea nomen est, quam olim Hungus Fer-
 gusii filius, conditor caput et matrem omnium ecclesiarum in terra Scotorum esse voluit.
 Braun. p. 11.

***) Ordericus Vitalis (hist. eccles. I. VIII. ad annum D. 1094. Columbanus discipulos scribit nor-
 mam suscepisse Benedicti ita tamen ut non abhorrerent sui statuta Magistri, almi videlicet Co-
 lombani. Ab ipso (Bened.), inquit, modum divinae servitutis et ordinem didicerunt et
 formam orationum pro cunctis ordinibus, qui in ecclesia Dei sunt, nigredinem vestium alias-
 que observationes sumpserunt.

†) Cf. Leo Geschichte des Mittelalters Th. I. Abth. I. Abschn. 2. R. 3. ubi docetur quibus involucri-
 bus antiquissima religionis atque ecclesiae Christianae instituta a Celticae linguae gentibus in
 Scotia, Hibernia atque in occidentalibus Britanniae Galliaeque regionibus retenta ac servata
 fuerint. Quod nemo mirabitur, qui perpendat, memoriam injuriae olim acceptae haud facile
 exstingui in hominum animis posse, sed ad posteros propagatam occulte gliscere solere; id
 quod sectarum illarum, quas ecclesia Catholica quondam in Oriente oppressit, satis docet historia.

an veterum Britonum, qui Culdeorum disciplina atque institutione imbuti tantas Bancoriae moles, tot in Hibernia coenobia extruxerant? Frustra vir venerabilis non semel monet, Scotos non aedificasse nisi de ligno, frustra Gallos et Romanos arcessit caementarios!*) Nam Eboracensem certe basilicam non multo post annum 627. de caemento et lapide per quadrum aedificatam, non igitur rotunda forma ut Pantheon illud vel Byzantinum S. Sophiae templum clarissimum, sed propria quadam constructum veterumque in Britannia artificum opus fuisse vix poterit negari. Horum industria, ab Anglis oppressa, quum in Northumbria revivisceret, Pontificiorum commovit suspicionem atque invidiam. Itaque Wilfridus caementarios ex Cantia, Benedictus, Wirimuthensis monasterii conditor, ex Gallia artifices arcessivit, qui lapideam sibi ecclesiam juxta Romanorum morem facerent.***) (Eddi vita Wilfr. c. 3. Bed. hist. abb. Wirimuth.) Ac sic quidem superstites veterum Britonum architecti, qui ad id tempus, ut perhibetur, vigilassent, ne quid inepti introduceretur, magis magisque circumscripti vel ambitiosae Pontificiorum voluntati cedere coacti cum ante Alfredum, tum maxime post Athelstani tempora si non omnes, at frequentes in Armoricam s. Britanniam minorem, commune Valesiorum perfugium, commigrasse videntur. Hoc Galliae in tractu sive eodem sive finitimo Normannorum en! primum ac simul cum Valesiorum carminibus Arcturianis novum quoddam necopinatum exstitit aedium sacrarum genus, a Byzantinorum stilo columnari, a Romanorum arcuario plane diversum, cujus in Italia nulum praeter Siciliam, a Normannis occupatam, exstat monumentum aequae vetustum! Normannorum esse inventum quis credat? Immo vero Britonum architectorum opinor, quos in Northumbria illi, deinde in Galliae ora reperiebant, ac secum in Siciliam deducebant, horum egregia ars reticulatum illud structurae genus excogitavit, quod Neo-Gothicum perperam vocitatum, utrum Normannis an Germanis debeat, inter peritos ejus rei existimatores magna est controversia. Quid? quod antiquissimum ejusmodi monumentum in Rhedonum civitate (Rennes in Bretagne) exstat, antiquissima ejusmodi in Germania aedificia non fere reperiuntur nisi in regionibus illis, quo „Scoti“ praecones devenerunt?***) Quid multa?

*) Observari attinet, quod Beda ab Abbate Wirimuthensi Benedicto ac deinde Ceolfrido educatus (cf. Epilog.) hunc tradit Naitano Regi Pictorum petenti architectos, qui juxta morem Romanorum ecclesiam de lapide facerent, simul cum exhortatoriis literis misisse, quibus potentius confutare posset eos, qui pascha non suo tempore observare praesumerent, simul et de tonsurae modo vel ratione qua clericos insignire deceret. Promiserat autem rex, si Bedae credimus, gentem suam in honorem beati Apostolorum principis dedicandam; se quoque ipsum cum suis omnibus morem Sanctae Romanae et Apostolicae ecclesiae semper imitaturum, in quantum dumtaxat tam longe a Romanorum loquela et natione segregati hunc ediscere possent. V, 22.

**) Lapp. I p. 171. „Einen noch merkwürdigeren Bau (quam Wilfridus) vollführte der Bischof zu Herbam (in Scotia — Acca), der seines Gleichen diesseit der Alpen nicht gefunden haben soll.“ Eddius c. 22.: Domum fundavit, cujus profunditatem in terra cum domibus mirifice politis lapidibus fundatam et super terram multiplicem domum columnis variis et porticibus multis suffultam, mirabilique longitudine et altitudine murorum ornatam et variis linearum anfractibus viarum, aliquando sursum, aliquando deorsum, per cochleas circumductam. cf. brevis annotatio Ricardi Prioris Hagustaldensis c. 5. Bed. V. 21.: Acca (Hagustaldensis ecclesiae episcopus, Wilfridi successor) ipsius ecclesiae suae, quae in b. Andreae Apostoli honorem consecrata est, aedificium multifario decore ac mirificis ampliavit operibus.

***) De „Scotorum monasteriis“ in Bavaria, ut Ratisbonae, in Franconia, ut Herbigopolitano (Wirceb.) aliisque a Kiliano (Kil-joanne?) Scoto fundatis quid statuendum esset, mallet Schroede-

